# DE ORIGINE CARDINALITIAE DIGNITATIS SCHEDIASMA HISTORICUM...

Johann Franz Buddeus




BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
9
8 A
34



DE

# ORIGINE CARDINALITIÆ DIGNITATIS

*Schediasma Historicum*

AUCTORE

M. IO. FRANCISC. BUDDEO.







IENAE,

Sumtibus JOH. BIELCKII, Bibliop.

ANNO cIↃ IↃc XCIII.

VIRO

*Magnifico, Summè Reverendo, Amplissimo, Excellentissimoque*


DOMINO

# JO. GEORGIO NEUMANNO

Hactenus Poëseos, nunc vero SS. Theologiæ in Academia Wittebergensi Professori longè meritissimo;

*Domino, Patrono, studiorumq; meorum Promotori, æterno honoris & obsequii cultu venerando.*



## VIR MAGNIFICE SVMMEQVE REVERENDE.



Vneſta animo meo hærebat purioris cœtus imago, cum præmaturo funere extinctos ætas noſtra lugeret & conquereretur, Viros ingenio doctrinaque florentes, morum-

rumque integritate conſpicuos, quorum ſolertiæ laboribusque Chriſtiani orbis fortuna, ut cœlum Atlantis humeris, innitebatur. Tarquinium Superbum mors imitari viſa eſt, ſumma papaverum capita callidè demetentem, tam atrociter dum in illos graſſata eſt, qui inter ſanctioris cœleſtisque doctrinæ propugnatores primum facilè obtinebant locum, & in acie quaſi conſtituti, furorem impetumque hoſtium ſoli propemodum ſuſtinuere. Jam ad mœſtum murmur & querimonias flebiles tranſibant

 ve-





veritatis alumni: periisse spem omnem, cecidisse sacri cultus Defensores, culmen præsidiumque bonorum & recte sentientium corruisse, erumpere nunc in ævum omne nefas, & impunè disseminari diros errores, quiritantes, obiisse acerrimos illos veritatis vindices, qui seculi vitare vortices docuêre, ne inconsultus animi impetus zeli nomen indueret, aut ficti, supercilii nubes sanctitatis invaderet famam. Cunctis igitur mœstis squalidisque, imminentemque fortunam anxie respectantibus subito

no-

nova ſpes affulſit, oſtentantibus, NEVMANNVM fatis, per virtutes veterum illorum Heroum, quorum in Annalibus ſacris celebrata ſunt nomina, ſtrenuè euntem, iſtorumque partes feliciter non minus expleturum, quam laudes gloriamque ſuperaturum. Meruiſti, *Vir Magnifice*, ut ad ingentes titulos ſummosque honores Te proveheret propitius Numinis favor, Tua virtus doctrinaque, ut reſarciret tot magnorum Virorum jacturam: Nihil quippe à Te prætermiſſum eſt, quod non iſto

fa-

ſaſtigio dignum, Te redderet. Namque & ſapientiæ humanæ omnes perluſtraſti campos, & vel undanti ſolutæ vocis eloquio, vel immortali Muſarum cantu totam poſteritatem ſacris implevisti præconiis & ad exemplum Adamantini iſtius Doctoris, rerum divinarum documentis, humanarum diſciplinarum adſpergere præcepta, didiciſti. Patent Tibi arcani divinorum oraculorum receſſus, eosdemque non minori dexteritate pandis, proculque faceſſere jubes, quicquid fraudis fallaciæque texe-

xere, aut caliginis, luçi affundere annititur, perditorum hominum profana cohors. Hinc integri & intemerati mores venerandum Te omnibus reddunt, eô potissimum seculo, quo ad labia & ostentationem à labore severaque disciplina translatum est probitatis studium. Quare ad spem novam erigitur sacer Numinique consecratus cœtus, spiritusque resumit, personatque Tuis laudibus universus, quem Litteræ probique mores nobilitant orbis, quod tantis honoribus decoratum, rerumque sacrarum

fa-

fastigio admotum illum videat, quo nec meliorem, si licuisset, optare potuissent. Hæc igitur virtutis tuæ fama, per omnium ora volitans, cùm me quoque maximo perfudisset gaudio, dubius atque anceps diu hæsi, quis præcipuè habitus inter congratulantium, faustaque & felicia quævis Tibi apprecantium turbas, me deceret? Communem ac quotidianam affectus mei significationem Tua in me respuebant merita, eximiam & supra ceteros exurgentem, non permittebat ingenii mei levi-

vi-

vitas: tandem illos imitari placuit, qui tenui parvoque munere submissam animi venerationem obsequiumq; perenne æquè feliciter, quam alii, regiis sumptibus, testati sunt. Non thura affèro, nec odores tanto culmine dignos, sed levissimam saltem commentationem de Cardinalitiæ dignitatis origine subito enatam, citiusque perituram Tibi consecro, & devota mente offero, in lætitiæ meæ obsequiique nunquam intermorituri, certissimum pignus. Pietati meæ vota jungo, Deumque per aras & sacra sup-

ſupplex veneror, ut Te ſalvo & incolumi erigantur proſtrata, reſtituantur perdita, ſanentur ſaucia, tuoque nomine ut repleantur poſterorum annales, ſerique nepotes ad tuas laudes & admirationem concitentur. Vale.

*CELEBERR. NOMINIS TVI*

*Cultor & Admirator perpetuus*

M. JOH. FRANCISC. BVDDEVS.



*Q. D. B. V.*

§. I.



Ræceps atque periculoſum ingredior iter, quod nunquam jucunditate ſua tam multos alliciet, ut non plures deterreat difficultate. Per anfractus quippe, variaque hominum, qui idem calcarunt, veſtigia, nobis eundum eſt, ut veri falſique diſcrimen luculenter pateſcat. Nihil præterea tam perplexum, aut tot circumſeptum

ambagibus videtur, quam origines Dignitatum, pariter ac familiarum evoluere, cum æquè, ac magnorum fluviorum fontes, judice Hieronymo Coneſtaggio *de Conjunct. Caſtil. & Portugal. lib. I. init.* lateant, quærentiumque labores haud raró fallant. Utique majus ingenium, excellentioremque doctrinam, & induſtriam haud vulgarem exigebat excelſa Purpuratorum Patrum fortuna. Illuſtrioribus quoque documentis omnia firmare par erat. Jam profunda nocte & triſti ſilentio tegere conſultius ducebam, quicquid ante in mentem venerat; cum tandem reputarem mecum, parum omnino referre, quo habitu veritas prodeat, eandemque eruditione anxiè conquiſitâ, non tam decorari quam obfuſcari.

§. II. Quo diligentius autem imperii istius molem, quod Romani condiderunt Præsules, mecum perpendo, eo majori me admiratione percellit, infinita ista consiliorum fraudumque series, quibus ceu fulcris quibusdam ac parietum armamentis, immensa hæc potentia innititur, & incredibili successu seipsam tuetur. Etenim ut amplitudine ac diuturnitate, ne florentissimis quidem orbis Rebuspublicis cedit: ita regnandi artibus fallaciisque, quibus arcana Principum plerumque involuta sunt, omnes superat. Hoc vero proprium huic imperio est, ac peculiare, probitatis cultusque divini nomina ut induant turpissima crimina, & tum maxime liberos se subditi arbitrentur, cum durissimo premuntur servi-

tutis jugo. Ita omnino eſt, ſuperſtitione longe felicius ſubactum orbem ſuperior ætas vidit, quam tot cruentis Romanorum præliis, tot victoriis à barbaris ferisque gentibus reportatis, ſubjici potuit. Æternum vero perpetuumque ut iſtud redderent, Senatum conſtituere placuit, penes quem ſummum rerum eſſet arbitrium, qui de limitibus extendendis, vel hoſtibus maturè opprimendis conſilia ſecum agitaret, iſtudque præſtaret ab omni ruinâ immune. Hæſit ſanè ejusmodi auguſtioris ſenatus imago animo Laonici Chalcondylæ, Athenienſis, dum Eugenium IV. Pontificem Cardinalibus ſuis ſtipatum ita nobis exhibet, ſecus quam dictum eſt, nemo ut arbitrari queat. *in Hiſtor. Turcica ad A. 1440.*

§. III.

§. III. Hîc vero quosdam videas, qui miſcendo humana divinis, primordia rerum ut auguſtiora faciant, conſecrare originem Cardinalium & ad DEUM referre non dubitant. Illepido ſane & rudi commento id egit Andreas Barbatias Jureconſultus Meſſanenſis, *extat in Tract. Tractatuum Tom. VI. p. 16.* qui ut Beſſarioni Cardinali, clariſſimo Viro, ſuam probaret induſtriam, ex ſanctiſſimis Hebraicæ gentis oraculis Cardinalium arceſſere originem, conatus eſt. Inſtituto ſuo attemperavit iſtud quod *I. Reg. II.* legitur: *Domini ſunt Cardines terræ.* Jampridem Hoſtienſem celebrem Doctorem, huic fundamento divinam Cardinalium auctoritatem inædificaſſe autumat. Nec procul rationem arceſſendam putat.

Etenim ut *cardine ostium*, inquit, *ita Cardinalibus Ecclesia Romana regitur*. Unum delirare satis erat. Ast video alios quoque eodem errore in transvorsum agi. Namque & Petrus de Alliaco, Cameracensis, *de Eccles. Auctor. Part. I. cap. I.* ut & Johannes de Turrecremata & ipse Cardinalis, *lib. I. de Eccles. c. 80.* idem sibi persuaserunt. Saltem in Apostolorum istos successisse locū, aut per alios in V. T. sanctitate & dignitate inclytos viros, eosdem esse repræsentatos, nulli dubitant. Hinc &, quod mirandum, Gerson, Prudentissimus Vir, illorum propè accessit opinioni *Tom. I. de stat. Ecclesiæ* itemque *Hieronymus Manfredi de Cardinal. Cap. VI.* Antoninus, vero, Diana Panormitanus ne intra hosce quidem sese limites continet

tinet

tinet, ſed exinde quoque divinam Cardinalium conſtare originem autumat, quod ſint *partes Pontificis*, adeoque ceu ejusdem cenſeri viſcera debeant. Ipſum igitur Pontificem ad Numinis conſtitutionem ſuam referre dignitatem, cum certum exploratumque habeat, nec Cardinales inferioris conditionis eſſe putat. *Reſolut. Part. V. Tract. II. reſol. II. p. 41.* ſuæ præterea ſententiæ accenſet Perezium in *Pentateucho fidei Tract. III. dub. III. cap. VIII n 81.* & Gundiſalvum de Villadiego lib. de *Cardinalibus quæſt. V. n. 13.* Omni autem ratione cum deſtituantur, quicunque his aſſentiunt, parum abeſt, quin, judicandi libertatem deferam Polydoro Vergilio, Meſſanenſem iſtum Jure-Conſultum Andream Barbatiam

graviter hâc in causâ increpanti: *Non secus isti Jure consulti aliquoties detorquent sacras litteras, quo volunt, ac sutores sordidæ solent dentibus extendere pelles.* lib. IV. de Invent: rer. cap. IX.

§. IV. Ipsos vero Pontifices, divinam Cardinalium originem neutiquam inficiari, Eugenius IV. comprobat suo exemplo. Etenim Cantabrigiensi Archiepiscopo, conquerenti graviter, præferri sibi Cardinales, persvadere voluit, horum dignitatem DEUM ipsum agnoscere auctorem. Saltem à Divo Petro hunc ordinem institutum indubitatò asserit. Simul verò provocat ad Innocentium III. qui in *Num. XVII. capite*, Cardinalium se reperisse natales, autumat. Ut per Mosem, enim, divinum Virum, Pontificem ad-

umbratum cenſet, ita in Septuaginta iſtis Senioribus, ad opem Moſi ferendam, cauſasque leviores populi cognoſcendas, conſtitutis, Cardinalium ſe conſpicere imaginem arbitratur. Hinc evincere volebat, juſto titulo Cardinalibus cedere Epiſcopos. conf. *Antoninus Diana* l. c. Piget ſane tædetque, plura ejusmodi addere. Namque qui divinas litteras ad ſuas trahere partes, aut populi Iſraelitici inſtituta hiſce attemperare negotiis, audent, non abſimiles illis eſſe judico, qui Medeæ perniciem ad Peleonis referebant ſylvas, cum hæ ligna præbuerint ædificandis Jaſonis navibus, qui patriis deinceps regnis privavit Medeam.

§. V. Nec felicius in hoc mari navigant, quibus vocis ortus ſub-

ſidio eſſe debet, ad ſplendorem ac ornamentum, purpuratis Patribus conciliandum. Faceſſat itaque procul Leonis IX. Pontificis profana interpretatio, qui Cardinalibus iſtud nomen inde hæſiſſe putat, *quod ſummo Pontifici proximè adhæreant, qui eſt velut Cardo totius Eccleſiæ: Nam ut in Cardine oſtium vertitur, & regitur, ac ſuſtentatur, ſic etiam à ſummi Pontificis providentia & firmitate, tota Eccleſia pendet. Epiſt. ad Mich.* Iſtud certè non diffiteor, ſi intra Criticorum limites ſubſiſtendum, & ex eorundem præſcriptis judicium ferendum ſit, præcipuum quid & ſingulare, hac voce denotari. Etenim & ventos cardinales Servius *ad I. Æneid.* Scopos Cardinales Vitruvius, dixit *lib. IV. c. VI.* præcipuas Donati

par-

partes, Cardinales vocat, Hipponensium Præsul, Augustinus *lib. I. de Baptismate*: Cyprianus quoque de operibus Christi Cardinalibus, librum composuit. vid *Carolus du Fresne Dominus du Cange in Glossar. v Cardinalis*. Spelmannus *in Glossar. v. Cardinalis*. Franciscus Duarenus *de Sac. Eccles. Minist. & Benef. lib. I. c. XIII. p. 1548.* Egregia quoque affert Freinshemius de *Elect. & Cardinal. Præced. Diatrib. I. p. 10 & 11.*

§. VI. Quo pacto autem in sacri ordinis homines ista vox translata sit, nondum inter omnes convenit. Namque & in Antiquæ Ecclesiæ Annalibus, Cardinales quosdam celebrari, palam est. Plerisque persuasum est, *Titulos*, ut vocant, *Cardinales* huic muneri præbuisse ansam. Hoc nomine autem

ſacræ venerunt ædes, in quibus DEUM placare precibus, & Chriſtiani cultus peragere ſacra, Martyrum quoque exempla ad imitandum proponere moris erat. vid. *Baronius in Martyrol. ad d. 26. Julii. Julius Weitzius ad Prudentii Hym. XII. de Paſſion. Apoſtol.* Diſtinctas ab hiſce fuiſſe Diaconias, tradunt, ægrotis pauperibusque ſuſcipiendis deſtinatas. Titulorum vero cum non una eademque eſſet conditio, (liceat enim mihi juxta antiquorum præſcripta loqui,) ſed quidam præ cæteris eminerent, vel majoris eſſent aut dignitatis, aut celebritatis, *Cardinales* ſ. *præcipui*, appellitabantur. Mox Presbyteris ipſis qui Titulis præerant idem nomen hæſit. Ita quidem autumat Carolus du Fresne Dominus du Cange

ge

ge *in Gloss. l. c.* Non procul hinc abit sententia Roberti Bellarmini *lib. I. de Clericis cap. XVI.* censentis, Cardinalis nomen, primo quidem impositum fuisse loco, à loco vero ad personam derivatum. Contra Onuphrius Panvinius *lib. de Tit. Cardin.* Cardinales illos vocatos fuisse autumat, qui inter reliquos sui ordinis homines eminebant, aliisque erant præfecti. Redarguit utrumque M. Antonius de Dominis *de Repub. Ecclesiast. lib. IV. c. VI p. 394.* & Onuphrii quidem explicationem imperfectam vocat, eò quod Cardinalis Presbyter, non semper alteri Presbytero fuerit præfectus. Bellarminum verò inde reprehendit, quod discrimen ejusmodi inter Titulos Cardinales & non Cardinales apud veteres non reperiatur:

tur: quod si verò Titulos omnes Cardinales dixerit certè omnes Presbyteros eo tempore Cardinales fuisse oportet, cum juxta *Can. VI.* Concilii Chalcedonensis, Presbyterum sine Titulo constituere nefas fuerit, summumque piaculum. Ipse itaque Cardinalis nomen istis semper hæsisse autumat: *qui non per modum provisionis, aut transcursim, ac ferè mutato & ad tempus, sed qui fixe ac permanenter, uti proprius jam illius Ecclesiæ Minister, ad exercenda ministeria Ecclesiastica illi Ecclesiæ propria, in eâ legitimè collocaretur, & inthronizaretur, quæ collocatio sive inthronizatio, incardinatio solet vocari.* Hanc vero sententiam non tantum pluribus documentis ex Baronio desumptis firmat, sed nominis quoque

ori-

originem in ſubſidium vocat, cum teſte Vitruvio, iſtud quod fixum eſt ac immobile Cardinis voce haud rarò denotetur. Nihilo-ſecius pro Onuphrio militare videtur, frequentior nominis uſus, pro eo quod præcipuum eſt. vid. Ludovicus Cœlius Rhodiginus *Antiqu. Lect. lib. X. c. I.* In eo quippe eundem falli, quod Cardinales iſtos ſaltem appellatos cenſet, qui aliis fuere præfecti, haud invitus largior. Iſtud vero ſi demas, à Spalatino Præſule non adeò diſſentiet. Illos enim qui certis adſtricti erant Titulis, potiores fuiſſe, multisque in rebus ſuperiores, quam qui ſecus erant comparati, adeoque jure meritoque Cardinalium ſibi vendicaſſe nomen, vix eſt, quod ambigas. Marco itaque Antonio de Dominis,

nis, luculentis valde documentis præsidiisque illustribus munito, quo minus accedam, nihil obstat, certè sententiam ejus suo comprobavit calculo Joh. Georgius Fueslinus *in Conclavibus Romanis reseratis Dissertat. V. Sect. II.*

§. VII. Convenire plerosque in eo deprehendi, Cardinalium nomen sacri ordinis hominibus fuisse in antiquâ Ecclesiâ proprium. Ita sane Hieronymus Lunadoro, qui in *Rellatione della Corte di Roma* fusè istud persequitur, arbitratur. In eo saltem nondum consentiunt, quâ occasione primum in Clericos fuerit derivatum; Nonnulli quippe apud Auctorem libri; *Traitte de l'Origine de Cardinaux du Saint Siege Cap. I. & II.* ad Romanæ urbis Præfectos primos natales referre

non

non dubitant, qui certæ civitatis præerant parti, atque *Curatores sive Capita Regionum Urbis Romæ appellitabantur.* Etenim ut in civilibus non minus quam sacris ordo servaretur, hisce regionibus certos Viros præfici placuit, penes quos Ecclesiasticarum rerum esset cura & administratio. Mox vero in desvetudinem abiisse istam regionum divisionem, Diaconosque Cardinales à præcipuis Titulis fuisse nuncupatos, viduarum præcipuè sanctitate inclytarum liberalitate locupletatis earundemque nomina oblivioni eripientibus. Ita Alphonsum Ciaconium quoque sensisse, idem auctor existimat. Neque ego sanè abnuo, istud nomen hisce Diaconis, qui primo certis regionibus, deinde Titulis fuere præfecti,

fecti, hæsisse. Sed cum Presbyteri quoque eodem fuerint insigniti, & præterea anceps dubiumque sit, Presbyterisne an Diaconis prius fuerit tributum, ad declarandam primam ejus originem neutiquam sufficere istud, quod Auctor tradidit, unusquisque haud difficulter dijudicabit.

§. VIII. Longius hinc recedit Gvido Pancirollus, qui in *Commentar. ad Notit. Imperii Orientalis Cap. II.* Patritios Romanos Cardinalibus tradidisse lampada autumat. Hi vero alterum ab Imperatore, ut Cardinales à Pontifice, tenebant locum. Utrisque istud commune est, consiliis illorum imperii ut dispensentur fata, illorum arbitrio cuncta regantur. Utique magna Cardinalitii muneris pars eo ipso absolvitur Eccle-

siasti-

ſiaſtici Imperii curam ut agant: adeoque ſi vera Pancirollus traderet, Cardinales eo potiſſimum tempore exortos eſſe oportet, quo Pontifices dominiis temporalibus aucti, intermiſsâ rerum ſacrarum curâ, ad civilia negotia animum adjecerunt. In quibusdam itaque quo minus cum Patriciis contendi queant, nihil omnino obſtat: quin ipſe Eugenius IV. Pontifex in Epiſtola ad Cantabrigienſem Archiepiſcopum utrumque ordinem ob dignitatem inter ſe confert: aſt inde non conficietur Cardinales ſucceſſiſſe in Patriciorum locum. Namque & dignitas Cardinalitia præcipuè jus eligendi Pontificem in ſe complectitur: jure autem eligendi Imperatorem non gaudebant Patricii: nominis autem ſi habeas ratio-

nem

nem, tantum abeſt ut illis fuerit proprium, qui conſiliis ſuis præſto fuerunt Epiſcopis Romanis, ut potius omnibus Clericis, certo cœtui junctis, fuerit commune. Non immeritò iſtud aſſerit Nicolaus Cœffeteau, Cenomanenſis, Ordini Dominicanorum addictus, & deſignatus Epiſcopus Maſſilienſis, Mornæum reprehendens, asſerentem, Cardinales in veteri Eccleſiâ prorſus fuiſſe ignotos. Namque Epiſcopos, pariter ac Presbyteros cum Diaconis tollendos, aſſerit, cum hi omnes aliquando Cardinalium uſurpaverint nomẽ. In eo tamen haud dubiè turpiter fallitur cucullatus homo, quod cum illuſtris Vir Dominus du Pleſſi de hodiernô Cardinalium munere, dignitate atque ſplendore ſermonem faciat, eisdemque in anti-

antiquâ Ecclesiâ rectè locum deneget, ille contra priscos illos Cardinales in scenã producat, quibus tamen cum recentioribus, præter nomen, nihil fuisse commune, aliunde palam est. vid. Fueslinus *in Conclavibus Rom. refer. Dissertat. V. Sect. II. p. 242. Auctor Galeri Cardinalitii T. III Cap. I p. 28.*

§. IX. Ceterum non possum hic assentiri Marco Zuerio Boxhornio, Viro longe doctissimo qui a Notariis veteris Ecclesiæ, Cardinalium originem derivare conatur *in Histor. Universal. ad A. C. 101. p. 167.* Hos verò Julius I^mus^ Pontifex constituisse fertur. Memoriam rerum illustrium, quibus Christianus nobilitabatur orbis, perire nolebat: receperantque jam spiritus sub Constantino & Constantio purioris cultus vindi-

ces



ces, posteritatisque gerebant curam, cujus utique intererat, veterum erudiri documentis. Proinde Notariis, ita enim eos appellare moris erat, id muneris datum, ut sedulo in literas referrent, quicquid dignum judicabatur, ut ab oblivione vindicaretur. Præsertim vero Martyrum decantare laudes, vitamque commendare posteris tenebantur, inde ut sibi quisque caperet quod imitandum esset, inde fœdum inceptu, fœdum exitu quod vitaret. Nec desunt qui Clementem, hujus instituti auctorem faciunt, à quorum sententia adeò alienus non est Polydorus Vergilius *de Inventor. Rer. lib. IV. Cap. XI.* Hic vero septem urbis regiones inter totidem distribuisse *Notarios*, dicitur: comprobavitque institutum longe saluber-

uberrimum Antherus, Julius denique eosdem ita auxit ornavitque ut incepti ordinis gloria ad ipſum referretur. Ex his itaque Cardinales exſculpit Boxhornius, utique ſeptem Titulos præcipuos cum hoc Notariorũ munere permutatos, cenſens. Quo minus autem Vir ſummus, invidiam æquè ac laudem omnium ſuperans me in partes trahat, multa omnino obſtant. Namque & idoneis ipſe teſtibus deſtituitur, quibus adſtruat Notariis ejusmodi Cardinalium hæſiſſe nomen; & præterea Diaconis, neutiquam vero Notariis, in ſeptem Urbis regiobus conſtitutis iſtud nomen primum contigiſſe communi propemodum conſenſu aſſeritur. Accedit, quod Notariorum munus ignaviâ iſtorum hominum adeô

evi-

eviluerit, ut in contemtum prorſus abierit. Quî ergo ſplendida Cardinalium dignitas hinc enaſci potuit? Iſtud vero quod dixi, me edocuit Platina: *Voluit item*, inquit, *in vitâ Julii II. ut omnia ad Eccleſiam pertinentia, per Notarios aut per Primicerium Notariorum conſcriberentur: hos hodie, ut arbitror, Protonotarios vocamus, quorum officium eſt, res geſtas præcipuè conſcribere. Verum noſtrâ ætate adeò plerique, nolo dicere omnes, litterarum ignari ſunt, ut vix ſciant nomen ſuum Latinè exprimere, nedum aliorum res geſtas perſcribere. De moribus nolo dicere, cum è Lenonum numero; & paraſitorum, quidam in hunc ordinem relati ſint.* Non itaque erat cur tam audacter pronunciaret Boxhornius:

nius: *Non est mihi dubium, quin ad eos Notarios referenda sit Cardinalium E. R. qui nunc ita appellantur, origo.*

§. X. Clericis itaque cum Cardinalium nomen fuerit tributum, nemo fortaſſis adeò mirabitur, quod Gvido quidam Archi-diaconus & Franciſcus Zabarella teſte Polydoro Vergilio *de Inventor. Rer. l. c.* & Davide Chambre *in Chronique abregée de Pape* apud Auctorem *Galeri Cardinalit. T. III. cap. I.* tradiderunt, à Pontiano Pontifice, tertio à Servatoris nativitate ſeculo 36. Sacerdotes Cardinales eſſe conſtitutos, à Marcello autem quindecim creatos, qui mortuis ſepeliendis, infantibusque ſalutari fonte abluendis navarent operam. Namque ſi vel maxime auctor fide dignus iſtud

memoriæ prodidiſſet, ſaltem Sacri Ordinis Viros certis Eccleſiis præfectos, intelligi, palam eſſet, ipſa quoque injuncti muneris ratio doceret. Sane quotiescunque Luitprandus, aut Anaſtaſius, aut etiam Platina, vel ſi qui Pontificum vitas literis conſignarunt, Cardinalium injecerunt mentionem, priusquam ad ſummum faſtigium Præſulum Romanorum pervenit auctoritas, ejusmodi omnino imago Virorum cultui Numinis addictorum, menti meæ obverſatur, quæ ſi cum hodiernis purpuratis Patribus conferatur, nihil minus quam iſtam, eis convenire, mihi haud difficulter perſvadeam. Aſt vero & iſtud incertum eſt atque ambiguum, quo potiſſimum tempore Clericis Cardinalium obtigerit nomen.

Romanenſium plerique ineptè ex nominis antiquitate, muneris ipſius dignitatem metientes primis Seculis à Chriſto nato jam hoc nomen viguiſſe, ſibi aliisque perſvadent. Robertus vero Bellarminus *lib. I. de Clericis Cap. VI.* licet antiquitati Cardinalium admodum faveat, ultra Conſtantini M. tempora aſſurgere non audet, aut certi quid polliceri. Tum vero Concilium Romanum ſub Sylveſtro I. convocatum eſſe autumat, in cujus *Can. VI.* Cardinalium injicitur mentio. Huic documento multi præterea clariſſimi Viri innituntur, interque eos Stephanus Pasquier *dans les Recherches de la France lib. III. cap. V.* Petrus Matthæi, Hiſtoriographus Gallicus, qui exinde vapulat Vigorio in *Traitte de Conci-*

*les Cap. IV.* conf. Fueslinus in *Conclavibus Rom. reseratis l. c.* Hinc omnibus itaque Concilii istius imposuit auctoritas, quod tamen si accuratius expendatur, nihil aliud erit, nisi inane otiosorum ingeniorum commentum. Hinc & istam de antiquitate Cardinalium sententiam, lubrico inniti fundamento oportet. Sane nec Eusebius, nec Socrates, vel alius probatæ fidei scriptor disertè ejus injecit mentionem. Nec ipse Bellarminus alium producit testem, quam Nicolaum quendam, sequioris ævi hominem, qui A. C. 860. vixit, si Adoni Viennensi credendum est *in Brev. Chron. ætat. VI.* Accedit quod observante Roberto Coco *in Censurâ Quorund. Scriptor. Vet. p. 444.* celebratum hoc Concilium dicatur: *cum ob*

*Con-*

*Constantinum mundatum à leprâ per Sylvestrum, gauderent multi nobiles*. Hoc ipso vero causa omnis proditur, cum istud de lepra Constantini commentum, nec apud veteres Scriptores reperiatur, & insuper à multis Romanensium inter fabulas jam pridem sit relatum. Sane cum etiam ante purgatam a superstitione cœcâ, operâ Lutheri, Ecclesiam, multi doctissimi Viri, interque eos Marsilius Patavinus, Laurentius Valla, Ludovicus Vives, Antoninus Florentinus decantatam Constantini donationem in dubium vocaverint, instrumentumque, quo illam firmare volebant, falsitatis convicerint, profecto de leprá non aliud judicium sperandum erit, quippe cujus figmenti non alia est ratio. Turpiter igitur decipitur auctor,

qui hoc tempore Concilium convocatum autumat, quo à lepra mundatus eſt Conſtantinus, cum nunquam eâdem fuerit infectus, multo minus per Sylveſtrum ſanitati reſtitutus. Præterea loquendi ratio à genio veterum prorſus aliena, fraudem iſtam fallaciamque diu latitare non permiſit. vid. Cocus l. c. & quem ille laudat *Johannes Raynoldus in Apologia Theſium n. 43. p. 407.* Nec certiora ſunt, quæ pro antiquitate Cardinalium ex antiquis quibusdam tabulis profert Raphael Volaterranus *in Anthropol. lib. XXII.* aut etiam Juris Canonici Compilator Gratianus *Diſt. 24. c. Presbyteri* de Gelaſio Papa adducit: ita quidem ut magno diſcrimini ſe expoſiturus ſit, ſi quis hiſce teſtimoniis fretus certam & indubita-

tam

tam de hâc lite, ferre ſententiam velit.

§. XI. Quæ cum ita ſint, haud immerito quis reprehenderet errorem, quem Hieronymus Plati, Societatis Jeſu Sacerdos, *in lib. de Cardinalis dignitate & officio, Cap. II.* commiſit. Cuncta enim quæ ad antiquitatem pariter ac dignitatem Cardinalitii Ordinis evincendam affert, ejusmodi ſunt, ut parum roboris ipſius ſententiæ inde accedat. Etenim Conſtantini M. tempore jam tantam Cardinalium fuiſſe dignitatem, ut ceteris Clericis ſuperiores fuerint, perquam ineptè aſſerit, cum vix Cardinalium nomen innotuerit, multo minus Romanis Clericis major honos, quam reliquis fuerit habitus. Ne autem fruſtra hoc dixiſſe videatur nomine Syl-

vestri Pontificis, Presbyteros duos Concilio Nicæno interfuisse autumat: hosce Cardinales fuisse, inde colligit, quod nemo nisi Cardinalis, Pontificis munere in Concilio fungi queat. Ex Pontificis arbitrio enim cum tota Concilii auctoritas pendeat, ipseque Præsidis munere semper fungatur, ut falso sibi persuadent Romanenses, teste Johanne Launoio *Part. II. Epist. IV. ad Jacobum Bevilaquam*, nefas atque piaculum putat Hieronymus Plati, si alius, quam Cardinalis ejus sustinere vices debeat. Tam turpiter falluntur, qui rerum momenta parum pensi habent: Quis enim nescit nec Sylvestrum eam convocasse Synodum, ut cum Baronio & Severino Binio sibi persuadet auctor, nec etiam eum in illà obtinuisse locum ut aucto-

auctoritati dignitatique vel Pontificiæ vel Cardinalitiæ probandæ, argumentum suppeditare queat. Secus enim qui sentiunt, de iis pronuntiare haud dubitaverim, quod de Alphonso Pisano, qui hujus Concilii historiam IV. conscripsit libris, dixit Edmundus Richerius, *illos, non referre quale fuerit Concilium Nicænum, sed quale ad sensum & palatum Jesuitarum esse debuerit. in Histor Concil. General. Part. I. cap. II. p. 11.* Pontificis igitur cum non alia ibi fuerit conditio quam ceterorum Episcoporum, quidni & alius, quicunque demum fuerit, Clericus, ejus tueri vices potuisset? Nec meliori successu in partes vocat Augustinum, qui Celestinum & Pelagium tempore Zosimi Pontificis à Clero Romano erroris con-

victos hæreſeosque poſtulatos eſſe tradit. Iſtud vero Cardinalium proprium fuiſſe contendit Hieronymus Plati. Ego vero omnia mecum voluens & replicans, nunquam intelligere potui, iſtud munus quo titulo Clericis ceteris denegari queat, ſolis autem competat Cardinalibus ſive Clero Romano. Sanè qui ita arbitratur, illum hoſpitem valde animum ex antiquis Hiſtoricorum monumentis retuliſſe oportet. Reliqua quæ ibidem docet, ita comparata ſunt, ut Cleri Romani antiquam faciem, diverſosque in eodem gradus quodammodo exhibeant, aſt originem Cardinalium certam ac indubitatam qui in hoc Scriptore ſibi pollicetur, valde vereor ne inania conſectetur & nubes.

§. XII.

§. XII. Missis perplexis atque ambiguis certiora sectemur. Cuncta autem accuratius perquirenti patebit, ante Gregorii M. ætatem de statu Cardinalium pariter ac vocis usu nihil posse definiri. Saltem ex probatæ auctoritatis scriptoribus hodie nullum extare arbitror, qui ante illum aut tam disertè Cardinalium meminerit, aut sæpiùs quoque hâc voce inter antiquos fuerit usus. Omnia autem documenta quæ apud Gregorium reperiri possunt, sollicitè in compendium misit M. Antonius de Dominis *de Republicâ Ecclesiasticâ l. c.* supervacaneum prorsus ut arbitrer alia si quis addere eidem velit. Inde autem innotuit ita Cardinalium nomen, ut longe frequentius fuerit usurpatum. Sanè in Romano isto concilio in

quo dejecto Constantino impio sancti muneris invasore, ad summum istud fastigium evehebatur Stephanus III. sancitum est, nemini ut via pateat ad hoc culmen, *nisi antea Diaconus aut Presbyter Cardinalis fuerit*. vid. Anastasius *in vitâ Stephani III.* Marianus Scotus *ad A. C. 767.* Cæsar Baronius *ad A. C. 768. num. III. IV.* Quin etiam Episcoporum Cardinalium in eâdem Synodo fit mentio: unde intelligere pronum est, valdè jam increbuisse eâ ætate Cardinalium nomen. Colligitur istud quoque ex *Can. 54.* Con ilii Metensis, in quo titulorum Cardinalium injicitur mentio. Hadriani I^mi decretis nostra quoque firmatur sententia, quippe qui Presbyterum Cardinalem non nisi 44. testibus crimi is convinci

vinci posse sanxit. Omnia autem si convectare vellem documenta, quibus evincitur quam longe lateque Cardinalium nomen post Gregorii tempora percrebuerit, rem susciperem infiniti laboris, ast exigui fructus.

§. XIII. Non turpius igitur sese traducere poterat Petrus Gregorius Tholosanus, quam cum *Lib. XXV. de Repub. Cap. unic. n. 11.* Cardinales non tantum dignitate ac potentiâ à Constantino M. auctos, sed ejusmodi quoque vestitu, quali hodie utuntur, ornatos esse contendit. Provocat autem ad decretum istud Constantini, quod ad fictam istam donationem comprobandam circumfertur, & tempore Caroli M. excogitatum esse autumat Edmundus Richerius *in Histor. Concil. General. Part. I.*

 *cap. XI.*

*cap. XI. p. 339.* In eo enim præter alia hæc quoque ſanxiſſe Conſtantinum ferunt: *Viris Reverendisſimis Clericis in diverſis ordinibus Romanæ Eccleſiæ ſervientibus, illud culmen ſingularitate, potentiâ, & præcellentiâ habere ſancimus, cujus ampliſſimus Senatus noſter adornari, id eſt, Patritios, & Conſules effici, nec non & ceteris dignitatibus imperialibus, eos promulgamus decorari. Per Viros reverendisſimos Clericos* Cardinales non tantum Tholoſanus, ſed alii quoque intelligunt, qui illorum inde derivare antiquitatem conantur. Quemadmodum autem Conſtantinus Senatoribus Romanis in omnibus æquiparari volebat Cardinales, ita dubium non eſt, qui nad eorum exemplum ſplendido ejusmodi veſtitu, eos deco-

decoraverit. Ita colligit ſibique perſvadet Tholoſanus, oblitus eorum, quæ *lib. IV. cap. XI. n. 8.* tradiderat, Cardinales hæc ſibi ſumpſiſſe ornamenta alacritatem ſuam ac promptitudinem ut ſignificarent, ad ſangvinem pro Servatoris honore effundendum. Evertitur præterea hæc Tholoſani ſententia, communi Hiſtoricoum ſuffragio, quippe quo in Innocentiū IV. Pontificem, decorati rubeis pileis, flammeos vocat Theodoricus à Niem *de Schismate Magno lib. I.* aliisque ornamentis, Cardinalitii Ordinis, gloria redundat. Sanè Dionyſius Petavius in *Rationario Temp.* p. 568. Flavius Blondus *lib. VII. Hiſtor.* & Vincentius Bellovacenſis *in Speculo Hiſt. lib. 31.* & inficetus ille Baronii continuator Abrahamus Bzovius, *in Annal.*

*nal. Ecclesiast. ad A. C. 1245.* unanimi consensu suo istud evincunt. Coccineus autem vestitus Paulum II. Pontif. auctorem agnoscit, teste Platina *in vitâ Pauli II.* & Johanne Baleo de Romanis Pontificibus *in Paulo II.* Neque vero decretum Constantini aut robur addit sententiæ Tholosani, aut splendorem conciliat Cardinalium ordini. Licet enim vel maximè per Viros reverendissimos Clericos, Cardinales intelligamus, utique intelligi possunt, sanè ex mente veterum hoc fieri par est, quo pacto à Cardinalibus nostri ævi, toto cœlo erunt diversi. De ipso vero decreto atque donatione Constantini in eodem fundatâ, jam pridem judicavit Johannes Freinshemius *Diatrib. I. de S. R. I. Electorum & S. R. E. Cardinalium*

*Præ-*

*Præcedentiâ p. 19.* hanc fabulam ceu meretricem anum à prioribus suis amatoribus explodi. Sanè ex ipsis Romanæ sedis Defensoribus eandem rejecerunt Raphael Volaterranus *Anthropol. lib. 23.* Nicolaus Cusanus, *de Concordiâ Catholicâ lib. III. c. II.* Hieronymus Paulus Catthalanus Canonicus Barcinonensis, in *Practica Cancellariæ Apostolicæ ap. Rebuffum p. 436.* Franciscus Guicciardinus Patricius Florentinus *Lib. IV. Histor. p. 156.* vid. quoque Gisbertus Voëtius *Parte II. Disp. Select. p. 868.* Lucas Osiander *in Epitome H. E. Cent. IV. lib. 1. c. 38.* Hermannus Conringius *de Germanorum Imperio Romano cap. XIII. p. 117.* Hildebrandus in Disputat. peculiari *de Donatione Constantini M.*

§. XIV.

§. XIV. Præterea ex iis, quæ de antiquo vocis usu statuque Cardinalium veterum dicta sunt, palam est, prava opinione in transversum agi Franciscum Duarenum, *de Sacr. Eccles. Minist. & Benef. lib. I. cap. XIII. p. 1548.* censentem, Cardinales olim dictos esse Presbyteros non quosvis, sed *qui in majori Ecclesiâ, quam cathedralem dicimus, rem divinam cum Episcopo suo faciebant.* Ejusdem erroris sese participem fecit Carolus Molinæus *in Decretal. lib. I. Tit. XXIV. de officiis Archi-presb. Cap. II. & III.* asserens, *principales Sacerdotes cujusque parochiæ,* hoc venisse nomine. Provocat ad Gregorii M. Epistolas. Istæ verò longè aliud me edocuerunt. Cuncta enim si accuratius expendantur, deprehendes Cardinales

omnes

omnes eos fuiſſe appellatos, qui certæ erant addicti Eccleſiæ, adeoque fixi, & in ſede ſuâ permanentes, ſine Eccleſiarum diſcrimine, aut graduum varietate. Hinc non immerito Johanni Freinshemio *de Electorum & Cardinal. Præced. p. 16.* vapulat Wolffius *in cent. XI. Lect. Memorab.* ex Epiſtolis Scholarum Pragenſis, Oxonienſis, & Pariſienſis referens: *Cardinales ante Gregorium non fuiſſe.* Utique ejusmodi Cardinales quales noſtra vidit ætas non fuerunt. Fixos autem atque perpetuos fuiſſe Clericos, quis negaverit? Luculenter hac de re diſſerit Vir incomparabilis, ſimulque docet, quo pacto Cardinalium nomen, diſcriminis cauſa quibusdam fuerit proprium factum. Hinc cum ſententiam Wolffii retuliſſet ſubjicit: *Atqui*

*hoc*

*hoc idem est ac si quis assereret, olim in Academiis non fuisse Professores ordinarios, quia vix reperiatur ita subscribere solitos, quod tamen hodie fiat à plerisque. Persimile enim negotium est. Fuerunt uti Cardinales Clerici, sic Ordinarii Professores, illi ab Ecclesiæ, hi ab Academiarum initio, & poterant ita vocari, si retulisset. Nihil autem referebat donec Cardinales & ordinarii omnes fuerunt. Postquam autem supernumerarii quidam additi sunt, qui nomen quidem Clericorum atque Professorum ferrent, de cetero potestate, honore, stipendiis inferiores essent, ad horum differentiam, uti nunc Professores ordinariorum h. e. verbis l. 2. C. de Professor. lib. XII. inter statutos connumeratorum, ita olim Clerici Cardinalium ex-*

*pres*

*presserunt nomen. Ea res evidentissime docet, quomodo factum sit, ut Cardinalis, in Clero dignitatis nomen esse cœperit.* Summa huc redit, ex antiquo vocis usu, omnes Clericos fuisse Cardinales, licet Cardinalium non usurpaverint nomen. Denotabat autem istud Clericum fixum & certo cœtui addictum. Causam vero, cur hoc nomen receptum & à fixis Clericis usurpatum sit, hanc esse, quod supernumerarii quidam accesserint, à quibus ut discernerentur, hoc fieri par erat. Exemplo hoc patet: Consulis atque Prætoris nomen in Romana Repub. illis competebat, qui tali magistratu fuerant functi. Cum vero sub Imperatoribus Consulum atque Prætorum insignia ejusmodi hominibus concederentur, qui talem magi-

magiſtratum nunquam geſſerant, obtinuit, ut ad illorum diſcrimen *Conſulatu vel Præfecturâ functi* appellitarentur. Vel etiam *Conſules ordinarii* audirent. vid. Gruteri *Inſcript. CCCLXI. 1. add.* Tacitus *Annal. XIII. cap. 29.* Chaſſanæus *in Catal. glor. Mundi Part. IV. Conſid. XII.*

§. XV. Qui vero Cardinalium nomen intra Romanæ Eccleſiæ limites coarctaverit, adeoque ex hodiernâ conſuetudine antiquum illorum æſtimaverit ſtatum, valde à veritate aberrat. Per univerſum Chriſtianum orbem ut munus, ita nomen Cardinalium, olim patuiſſe, haud difficulter evinci poſſet. Vel Gregorii Magni auctoritas ad hoc credendum nos adducet. Multa quidem ac egregia apud eum occurrunt, quæ

nobis

nobis hoc perſvadeant, illuſtre tamen præ ceteris eſt, quod ad Corſicæ Inſulæ Sacerdotes nobileſque ſcripſit: *Eâ de re quoniam Eccleſia Alarienſis, Sagonenſis Sacerdotis diu auxilio eſt deſtituta, neceſſarium duximus, Martinum Epiſcopum fratrem noſtrum, ibidem Cardinalem conſtituere Sacerdotem.* Idem adhuc luculentius patet ex Epiſtola quam ad Januarium Archiepiſcopum Caralitanum in Sardiniâ ſcripſit, de Liberato quodam, quem noluit Eccleſiæ iſtius Cardinalem conſtitui. Sanè veterum Hiſtoricorum monumenta ſi evolvamus, Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, Mediolanenſis, & Compoſtellanæ Cardinales legimus. Præſertim vero Cardinales Eccleſiarum Gallicanarum ſæpius memorantur, ut

Car-

Cardinales Ecclesiæ Suessionensis in *Diplomate quodam Philippi I. G. R.* ut reliqua nunc taceam. Manifestum hoc præterea ex eo est, quod, licet Cardinalium nomen deinceps Solis Romanis Clericis hæserit, nihilo secius, in quibusdam Ecclesiis vestigia moris antiqui, per aliquot secula permanserint. Namque in Ecclesiâ Ravennatensi Canonicorum Cardinalium nomen tamdiu in usu fuit, ut demum A. 1568. per Pium V. P. R. fuerit abrogatum, luculento documento, olim quibusvis Clericis hoc nomen fuisse tributum. Quod autem Hieronymus Rubeus, *in Historia Ravennatensi lib. V. p. 232.* duplicis generis Cardinales facit, alios Romanos alios verò non Romanos, parum ab imprudentiâ abest. Si enim sequius ævum respiciat,

ciat quo jam ſoli Romani Clerici hoc nomen ſibi vendicabant, fruſtra profecto eos ita diſcernit. De veteribus autem ſi loquatur, perinde eſt ac ſi Clericos in Romanos & non Romanos diſtinxiſſet. Nihiloſecius iſtud non inficiatus fuero, creſcente paulatim Epiſcopi Romani auctoritate, Cardinales quoque Romanos ceteris ſe ſuperiores exiſtimaſſe. Colligitur iſtud, niſi me omnia fallunt, haud difficulter ex Capitulis Aytonis Epiſcopi Baſileenſis, Romanos Titulos, *Cardinales primæ ſedis* appellitantis. ap. Carolum du Freſne Dom. du Cange *in Gloſſ. v. Cardinalis.*

§. XVI. Equidem quo præſertim tempore nomen Cardinalium, Clericis omnibus fixis commune, ſoli ſibi vendicaverint Romani,

mani, definire præceps esset & temerarium. Certè assentire nequeo Polydoro Vergilio qui, evectâ per Bonifacium III. ad primum supremæ dignitatis gradum Romanâ sede, Clericos quoque Romanos, non tantum majores sumpsisse spiritus, sed &, ut communi sorte se exemtos ostenderent, proprio hoc & peculiari nomine, voluisse insigniri, contendit *lib. IV. de Inventor. Rerum cap. IX. p. 253.* Hunc quippe finem feralibus istis de suprema auctoritate certaminibus, quibus hactenus Constantinopolitani pariter ac Romani Præsules se invicem vexaverant, imposuit Phocas Imperator, ut rejecto Byzantino Antistite, penes Romanum per universum orbem summam rerum sacrarum esse juberet. Malè partum imperium pejo-

pejoribus artibus firmandum fuit: gratiamque Pontificis vel quidvis concedendo conciliare sibi, consultum putabat Imperator, ne repulsâ irritato alienos à Græcorum dominio Italorum animos impelleret ad jugum quatiendum, potentiamque illorum penitus conculcandam. vid. Paulus Diaconus, *in Histor. Miscellâ lib. 18. p. 312.* Sigebertus *ad A. C. 607.* & qui vitas Potificum litteris consignarunt, Luitprandus, Albo Floriacensis, & Anastasius Bibliothecarius *in vitâ Bonifacii III.* add. Spondanus ad *A. C. 107.* Primum itaque gradum ad imperium aliquod absolutum Pontificum Romanorum, cum struxerit Bonifacius, simul Romanum Clerum præ ceteris eminere cæpisse, vix est quod ambigam: inde tamen

nondum evicit Polydorus Vergilius, Cardinalium nomen eo tempore iis ſolis fuiſſe vendicatum. Omni documento itaq; cum deſtituatur, procul eum faceſſere jubemus. Quin ex eo quoque refellitur, quod Caroli M. tempore, adeoq; poſt Bonifacium III. Gallicanos Clericos Cardinales appellatos fuiſſe palam ſit ex Can. 54. Concilii Metenſis, quod & ex eodem rectè colligit Stephanus Pasquier *in Recherches de la France lib. III. cap. III.* Senſim itaque apud cæteros uſum hujus vocabuli in deſuetudinē abiiſſe, ut penes Romanos Clericos tantum maneret, arbitror. Haud abſimile quidem fatum fuiſſe nominum *Papæ*, itemque *Catholici* advertit Johannes Georgius Fueslinus *in Conclav. Rom. reſerat. Diſſertat. III.*

cum

cum enim promiſcuus eorundem uſus quondam obtinuerit, in reliquis Eccleſiis ita obliterata ſunt, & oblivioni quaſi tradita, ut ſola Romana eadem conſervaret, iisdemque ceu præcipuæ dignitatis ſignis ſeſe efferret apud poſteros. Namque omnes Epiſcopos, Papas quondam dictos eſſe, vel ex eo colligit Claudius Salmaſius *de Primatu Papæ Cap. I. p. 11.* quod nihil aliud quam Patrem denotet. Hoc autem honoris titulo, non apud Chriſtianos tantum, ſed Ethnicos quoque gaudebant, quicunque ſacris præerant. Solis quippe Romanis Præſulibus hoc nomen antiquitus conveniſſe, nemo hiſtoriæ peritus aſſeret. Namque & Cyprianus *lib. II. Epiſt. 31. p. 71. edit, Pamel.* ab ipſis Romanæ Eccleſiæ Presbyteris Papa ſalutatur;

& Galerius à Cypriano, quærit: *Tune es quem Christiani suum Papam nominant* ap. Nicephorum lib. VI. cap. IV. Pari ratione Dionysius Alexandrinus Heraclium prædecessorem suum Papam vocavit, eodemque nomine Eulogium Alexandrinum Episcopum insignitum, deprehendimus. Quin Hieronymus hunc titulum defert Augustino, in omnibus prope Epistolis, & Augstinus *Epist. II. 13. 14. & alii Tom. II. Op. edit.* Basil. Aurelium Episcopum Papam nominare non dubitavit. Quemadmodum igitur successu temporis soli Romani Præsules hoc nomen ostentarunt: Ita prorsus cum Cardinalibus sese res habuit, ut soli retinerent, quod reliqui neglexerant. Non tamen est quod dubitem, quin multum huc contu-

lerit Romani Cleri arrogantia. Etenim ut dignitate, ita nomine quoque à reliquis Clericis diversos prorsusque distinctos, sese, cupiebant. Tam impotenti superbia autem ut sese efferrent, splendor atque potentia Urbis fecit. Præsulum enim ipsorum dignitatem, ex urbium quas incolebant potentiâ metiri, quandoque moris fuit. Romanam itaque urbem cum ipsi Imperatores ceteris omnibus præferebant, Præsul quoque Romanus aliis cedere turpe ducebat. Præsulis exemplum sequebantur Clerici. Unde Raphael Volaterranus *lib. XXIII. Anthropol. Sicut Urbis Romæ Episcopus ceteris præstabat, sic etiam Clerus Romanus &c.* Hinc jam tempore Hieronymi, Romani Clerici eo usque progressi sunt inauditæ superbiæ, ut Diaconi

coni Urbis Romanæ, reliquarum Ecclesiarum Presbyteris cedere nollent. Extorsit ea res gravissimas querelas ipsi Hieronymo: *Legimus*, inquit, *Epist. 85. fatuus fatua loquetur. Audio quendam in tantam erupisse vecordiam, ut Diaconos Presbyteris, id est, Episcopis anteferret.* Nec urbis nobilitatem communibus legibus Clericos Romanos eximere postea edisserit: *Nec altera Romanæ Urbis Ecclesia, altera totius orbis existimanda est, ubicunque fuerit Episcopus, Romæ sive Eugubii, ejusdem meriti, ejusdem est & Sacerdotii. Potentia divitiarum & paupertatis humilitas, vel sublimiorem vel inferiorem Episcopum non facit.* Acerbius in eosdem invehitur, quando Clerum Romanum *Senatum Pharisæorum*, & *imperitiæ factionem* vocat.

vocat. *Procem. in lib. Dydimi de Spiritu S.* Prorſus hunc in modum, in querulas voces, indignabundꝰ erumpit auctor Quæſt. V. & N. T. quem vulgo Auguſtinum eſſe cenſent. *Quidam*, inquit, *qui nomen habet Falcidii, duce ſtultitiâ & civitatis Romanæ jactantiâ, Levitas Sacerdotibus, & Diaconos Presbyteris æquare contendit, ne dicam præferre. Sed quia Romanæ Eccleſiæ miniſtri ſunt, idcirco honorabiliores putantur, quam apud ceteras Eccleſias, propter magnificentiam Urbis Romanæ, quæ caput eſſe videtur omnium civitatum.* &c.

§. XVII. Omni itaque dubio ut careat noſtra commentatio, Cleri Romani conditionem, paulo accuratius intueri juvat. Cum enim hinc hodierni Cardinales enati ſint,

 nihil

nihil certè magis noſtro inſtituto convenire poteſt. Hic vero initio quidem nihil à communi ceterarum Eccleſiarum more ab horrens deprehendimus. Namque tribus potiſſimum gradibus in eâdem diſcernebantur, quotquot rerum ſacrarum gerebant curam, tres ordines majores, Juris Canonici interpretres, appellitare ſolent. Primum quidem locum in ſacrâ hac ſocietate tenebat Epiſcopus, alterum Presbyteri occupabant, tertius concedebatur Diaconis. Et hoſce quidem omnes ab ipſo Numine inſtitutos, propriiſque muneribus diſtinctos eſſe, multi non Romanenſes tantum, ſed alii quoque clariſſimi Viri, ſibi perſvaſerunt. Saltem Epiſcopos divino juſſu Presbyteris eſſe ſuperiores, functionibusq; ab iisdem diverſos cre-

crediderunt præter Bellarminum *lib. de Clericis Cap. XIV.* in Angliâ, quicunque Episcoporum summæ auctoritati hinc consultum cupiunt, Johannes Prideaux Wigorniensis Episcopus *Fascic. IV. Q. II. Oper. fol. 639. seqq.* Josephus Hallus, *Episcop. Part. I. c. IIX.* Hammondus *de Juribus Episcopat. Part. I. §. IIX.* Hadrianus Sarravias *de diversis Minist. Eccles. Grad. Lib. I. cap. 20. 21. seq.* Robore autem an polleant, quibus hanc suam sententiam munire annituntur, alii judicent. Ego sane nullum Episcoporum Presbyterorumq; discrimen Apostolico ævo deprehendere potui. Etenim sacram istam societatem, quæ deinceps Ecclesiæ nomen induit, æquè ac civilem, simplicissimo modo & institutam, & initio gubernatam esse, vix est

quod ambigam. Sine ordine itaque atque regimine, cum nlhil aliud quam turbæ atque extrema pernicies ſperari poſſit, ſummam rerum utrobique penes ſeniores initiò DEus eſſe voluit, quod peritia atque uſu rerum pollentes, nec variis cupiditatibus obnoxii maximè apti ad hoc ipſum viderentur. Mox in horum locum ſucceſſerunt al i,non tam ætate quam prudentiâ, vitæ ſanctitate atque integritate morum, Senioribus æquiparandi. Inde invaluit, ut qui cætibus præerant, hominesque erudiebaut,adeoque ſummam rerum ſacrarum tenebant,communi nomine πρεσβύτεροι appellitarentur. Horum præcipuum munus erat ἐπισκοπεῖν, curam agere gregis ſibi commiſſi, ut Medicus de ſalute ægoati ſolicitus eſt, ita enim

hâc

hâc voce usus est Xenophon. Inde factum ut Presbyteri, quandoque Episcopi vocarentur. Ceterum duplex erat Presbyterorum genus docente Claudio Salmasio *de Primatu Papæ Cap. I. p. 4.* Alii populum docebant, & orationi tantum vacabant. Alii sacramenta administrabant. Illi διδάσκαλοι dicti, *Doctores ac Magistri.* Eorum etiam cathedra propria fuit: quin successu temporis præ reliquis Presbyteris ita eminere cœperunt, ut Episcoporum nomine tantum insignirentur, & in ceteros quoddam dominium sibi vindicarent. Et ita demum Episcopos à Presbyteris distinctos esse, erudite demonstravit *Salmasius*, non tantum, in *lib. de Primatu Papæ*, sed & sub nomine Walonis Messalini, *in Tractatu de Episcopis & Pres-*

*byteris per VI. Capita.* Huic jungatur Zieglerus qui de *Episcopis*, & Zimmermannus qui de *Presbyteris* ex instituto egerunt. Omnes profecto qui contrarium asserere audent conticescere jubet Hieronymus *in Epistolam ad Titum: Idem Presbyter qui Episcopus, & antequam diaboli instinctu dissidia in religione fierent, & in populis diciretur, Ego Pauli, ego Cephæ, communi consilio Presbyterorum Ecclesiæ gubernabantur. Postea ut dissensionum semina evellerentur, ad unum omnis sollicitudo est delata.* Diaconos autem quod attinet eosdem ab ipsis jam Apostolis fuisse constitutos Divus Lucas, memoriæ prodidit. Ast munus illorum in eo absolvebatur ut pauperum curam agerent & Ecclesiæ bona administtarent. Certe hoc divi-

divinitus per Lucam edocti sumus, & suo etiam calculo approbat Oecumenius in *Collectaneis ad Acta Apostolorum*, cujus auctoritate etiam Thomam de Vio Cardinalem Cajetanum, contra Baronium defendit Sixtus Senensis *Biblioth. lib. VI. annot. 225.* Turpiter igitur falluntur qui Diaconos, ab Apostolis institutos etiam *ministros Altaris* fuisse contendunt, quod præter Alphonsum Salmerorem, & Casparem Sanctium *in Commentar. ad Act. Apost. Cap. VI.* etiam agit Jacobus Pamelius *ad Cypriani Epist. 65.* Hosce omnes vero refellit Canon XVI. Concilii Constantinopolitani VI. in Trullo habiti, in quo præeunte Johanne Chrysostomo mysteriorum ista dispensatio à munere Diaconorum removetur. Nec aliud jam præ-

præsidium Romanensibus superest, quam ut Canonis istius, atque totius Concilii auctoritatē in dubium vocent, sicuti Severinus Binius fecit, *in Notis ad hoc Concilium*, invito licet Hadriano Pontifice apud Gratianum c. sextam, dist. 16. & Nicephoro Episcopo Constantinopolitano *in Capitibus contra Iconoclastas:* vid. Zieglerus de *Diaconis & Diaconissis Cap. III.*

§. XVIII. Jam itaque, qua ratione in Ecclesia Romana hi ordines sint instituti breviter expediendum est. Qui ad Petrum Apostolum Cleri Romani adeoque Cardinalium institutionem referunt, nubes & inania prensant, cum incertum hucusque sit, an Romæ fuerit, aut Romanum gesserit Episcopatum. vid. Ullricus Vellenus, *in libello peculiari, qui 18. rationibus*

*hoc*

*hoc impugnavit.* Marsilius Patavinus *in Defensore Pacis ap. Melchiorem Goldastum in Monarchiâ S. R. I. p. 258.* it. Nicolaus Vedelius *in Tractatu peculiari de Cathedrâ Petri*, add. Vir incomparabilis Joh. Henricus Heideggerus in *Historiâ Papatus p. 4. it. 5. seqq.* aliique. Nec certiora sunt quæ de Cleto aut Evaristo, aliisque antiquioribus Pontificibus vulgo traduntur. Hieronymus Plati *ap. Auctorem Galeri Cardinalitii* p. 3. Hyginum Pontificem certos constituisse Titulos autumat, iisdemque Presbyteros junxisse ac Cardinales. Sed cum idoneis ad hoc evincendum documentis destituatur, haud temerè istud affirmaverim. Sane antiqnissimam esse Diaconorum pariter ac Presbyterorum in Eccesia Romanâ constitutio-

tutionem, vel exinde liquet, quod ad Apoſtolicæ Eccleſiæ formam ſtatim reliquæ omnes fuerint compoſitæ. Ceterum ſeptem Diaconos olim Romæ fuiſſe conſtans eſt plerorumque ſententia, non equidem ut Hieroſolymitanæ Eccleſiæ imaginem tam accuratè exprimeret, in qua totidem creatos fuiſſe legimus, ſed quod VII. regionibus urbis Romanæ ambitus comprehenderetur, quarum unicuique ſuus deſtinatus erat Diaconus. Creſcente autem indies Chriſtianorũ numero, Diaconorum quoque multiplicatus eſt labor, adeoque ſingulis regionibus duos dare Diaconos placuit: quibus tandem quatuor Diaconi Palatini acceſſere, qui in Palatio Epiſcopi Romani hoc munere fungebantur. Inde adeo duo deviginti Romanæ urbis

facti sunt Diaconi, quos subsequenti ætate certis quoque Titulis, ut Presbyteros, adscriptos accepimus. Presbyterorum autem ingentem Romæ fuisse multitudinem, necesse est, tum ob Titulorum copiam, tum etiam quod ad unum Titulum plures pertinerent Presbyteri. Namque jam in Concilio Romano Presbyteros Tituli S. Sabinæ tres, S. Praxedis duos, &c. adfuisse legimus. vid. M. Antonius de Dominis *loco suprâ cit.* Cletum Pontificem 25. constituisse Presbyteros fama est. Sed dubio istud non caret. Certius illust est, quod Eusebius tradit *lib. VI. H. E. c. 35.* Cornelii Pontificis ætate 46. Presbyteros Romæ vixisse. Quod vero Franciscus Zabarella & Martinus Cisterciensis autumant, Pontiani Pontificis ætate 236. Presbyteros

Romæ fuiſſe, omnem fidem excedit. Sane poſt ætatem Caroli M. 28. Presbyteros & quidem Cardinales numerarunt, eo quod ad unamquamque Eccleſiam, ut vocant, Patriarchalem, ſeptem Presbyteri Cardinales pertinerent. Quinque autem Eccleſiæ Patriarchales Romæ conſpiciuntur, in quibus magna myſteria captat Hieronymus Lunadoro *l.c.* quas ligato ſermone ita expreſſit Onuphrius Panvinius *loco ſupra citato*:

*Paulus, Virgo, Petrus, Laurentius, atq; Johannes,*
*Hi Patriarchatus nomen in urbe tenent.*

Johannis nomen quod geſſit templum deinceps Lateranenſe dictum eſt, cujus miniſterio deſtinati ſunt ſeptem Epiſcopi Cardinales ut poſtea demonſtrabitur. Reliquis

quis quatuor ædibus Patriarchalibus cum addicti ſint Presbyteri Cardinales, & quidem unicuique earum ſeptem, numerus anteà indicatus ut hinc reſultet neceſſe eſt. Utrum autem Diaconi an Presbyteri Cardinalium nomen prius uſurpaverint, non definierim. Certè Fueslinus *in Conclav. Rom. Reſerat. p. 244.* primum Presbiteros, mox Diaconos & tandem Epiſcopos hoc nomine fuiſſe inſignitos, haud obſcurè innuit. Cauſa vero non alia eos ad hoc impulit, quàm quod præter fixos & ordinarios alii quoque Romæ viverent Presbyteri, non tamen, ut barbarè loquebantur, *incardinati*, à quibus hoc modo diſcerni volebant. Epiſcopos vero quod attinet, ſi ex antiquiæ Eccleſiæ præſcriptis judicium ferendum, iſtorum

rum unusquisque in ſuo Epiſcopatu erat Cardinalis. Namque ut Epiſcopus in alienâ Eccleſiâ fieret Cardinalis Presbyter inauditum erat, & à receptis moribus prorſus alienum. Luculentum iſtud adeò eſt, ut nec ipſe diffiteri potuerit Onuphrius: *Antiquitus porro mos fuit*, inquit, *qui etiam per mille annorum ſpatium ſervatus eſt, ut Presbyter Cardinalis urbis Romæ, neque Epiſcopus eſſet, neque Epiſcopatum adminiſtraret, vel ex Epiſcopo Presbyter fieret Cardinalis*. Ut verò in omnibus ita etiam hâc in parte à veteri diſciplinâ diſceſſum eſt. Namque cum jam Caroli M. tempore Cleri Romani nimium quantum aucta eſſet dignitas, ſeptem circumvicini Epiſcopi Cardinalium Romanorum ordini accenſeri non detrectarunt.

Alba-

Albanum in nuo Episcopum, Ostiensem, Portuensem, S. Rufinæ, Tusculanum, Prænestinum & Sabinensem, licet deinceps Portuensis Episcopatum S. Rufinæ, suo junxerit. Penes hosce quippe munus consecrandi Episcopum Romanum jam olim fuit. Ceterum, licet à moribus veterum prorsus alienum sit Episcopum Cardinalem fieri in alienâ Diœcesi, nihilosecius tamen Dominicus à Soto, *lib. III. de Justitiâ & Jure Quæst. V. artic. III.* eatenus istud excusandum esse autumat, quatenus hi Episcopi ob vicinitatem haud difficulter utroque fungantur munere, adeoque omnes istæ Ecclesiæ ceu unitæ cum Romanâ censeantur, erantque, juxta eum, omnes isti Præsules instar Chorepiscoporum, in una Diœcesi Romanâ constitutorum.

vid.

vid. Macri Fratres *in Hierolexico p. 125.* Quod vero deinceps Episcoporum Cardinalium aucti sint Tituli, adeoque libertas eis concessa fructum utriusque muneris percipiendi, cum tamen ritè utroque fungi nequeant, cum summo piaculo conjunctum esse nonnulli ex ipsis Romanensibus pronuntiarunt. Summa itaque huc redit post Caroli M. ætatem ex 18. Diaconis 28. Presbyteris, & 7. Episcopis Cardinalibus Romannm constitisse clerum: quem Cardinalium numerum per aliquot etiam durasse secula constat: donec tandem mutata Ecclesiæ Romanæ fortuna numerus quoque Cardinalium vel diminueretur vel augeretur, Sixtus V. veo decreto sanciret septuaginta ut essent Cardinales, totidem quoque constitutis Titu-

Titulis, qui ſeptuaginta Servatoris diſcipulos referrent ac repræſentarent. Pluribus hæc omnia exequitur Hieronymus Lunadoro in *Relatione della Corte di Roma & di Riti di oſſervaſſi in eſſa, & de ſui Magiſtrati, & offici, con la loro diſtinta giurisdittione.*

§. XIX. Nunc vero diſcrimen veterum & recentiorum Cardinalium haud obſcurũ eſſe poteſt. Quod ut eo rectius intelligatur, operæ pretium me facturum arbitror, ſi ea, quæ M. Anton. de Dominis, *de Repub. Eccleſiaſt. p. 392.* prolixius ex Gregorii Magni Epiſtolis, aliisque antiquis monumentis, de Cardinalium veterum conditione diſſerit, in compendium mittam, ex quibus haud difficulter hæc colliges: (1.) Cardinales non tantum à Papa creatos, contra ac

hodie receptum est. *vid. Sprengeri I. P. XXXV.* (2.) nec in Romana tantum Ecclesia *vid. supra* §. *XV.* (3.) Clericos alicujus Ecclesiæ non Cardinales, ultimū inter sui ordinis alios tenere locum. (4.) *Incardinari*, liceat namque mihi ad formulam scriptorum Ecclesiastico-rum loqui, in aliâ Ecclesia neminem, qui fuerit in aliâ *cardinatus*, nisi priori obligatione soluta. (5) Plures in eâdem Ecclesiâ Diaconos fuisse Cardinales. *Vid.* Fueslinus *in Conclav. Rom. Rer. Dissertat. V. Sect. II.* Hæc omnia vero si cum hodierno Cardinalium statu contendantur, in plerisque secus istos se habere nunc, deprehendimus. Præsertim vero munere & honoris gradu à se invicē discernuntur. Cum enim veteres illi nihil prius aut antiquius duxerint quam æ-

gro-

grotorum pauperumque curam agere, aut etiam erudire populum, Deumque placare precibus, miserisque delictorum impertire veniam, reliquasq; Diaconi, aut Presbyteri implere partes; hi contra orbis dispensare fata, civilibus distineri negotiis, in Regum Principumque versari aulis, Legatorum munere fungi, perhonorificum sibi ducunt. Nec enim inter sacri ordinis homines hosce quisquam retulerit, nisi qui Romanam aulam templum sanctissimum arbitretur, in quo variis artibus, quandoque nefandis consiliis, quibus regnorum in discrimen vocatur fortuna, ritè colatur Deus. Hæc sacra ab ejusmodi Sacerdotibus non aliena esse, haud difficulter crediderim. Præterea honoris gradu ita à veteribus distinguuntur,

tur, vix ut veſtigium priſtinæ modeſtiæ in illis conſpicias. Namque ſupra Epiſcopum ſeſe efferre nunquam auſus eſt Presbyter Cardinalis. Hodie vero non certior ad Cardinalitiam dignitatem via eſt, quam Epiſcopatus. Nec vero hic ſubſtitit ambitio. Regibus ipſis æquiparari cupiunt. Jam Friderici I. Imp. ætate, Cardinales ſe Fratres Imperatoris appellarunt. Ita enim Imperatorem alloquuntur apud Cruſium *Annal. Suev. ad A. 1157. Salutat vos beatiſſimus Pater noſter Papa Adrianus: & univerſitas Cardinalium S. Romanæ Eccleſiæ: ille ut Pater; illi ut fratres.* Unde minus mirandum quod Carolus V. Impetator Cardinalem Wolſæum tanto affecerit honore ut in litteris ſe appellaverit: *Voſtre fils & Couſin Charles.*
vid.

vid. *Annales Rerum Anglican: ad A. 1522.* add. Anton. Maria Gratianus à Burgo S. Sepulchri *de Casib. Vir. Illustr. p. 166.* Quin palam istud asserere, seque adeo Regibus æquales ferre non dubitant. vid. Cassanæus *in Catal. glor. Mundi Part. IV. Consil. X.* & quæ Lansius *Orat. pro Ital. ex Stapletone in Admirandis Eccles. Romanæ lib. II. Cap. III.* adducit. Episcopos vero quod attinet, jam sub jugum missi sunt, ut vix quisquam sua recuperare jura audeat. Quod enim Baronius in antiqua Ecclesia Episcopos Cardinalibus fuisse inferiores contendit *ad A. C. 831. n. 81.* in eo turpiter fallitur. Licet enim vel maxime in Concilio Ephesino Presbyteri, Romani Episcopi Legati, ceteris Legatis Episcopis prius subscripserint, constat tamen in

eodem concilio sæpius Episcopis primum, Presbyteris illis, secundum locum fuisse concessum. Istud vero nunc non ago. Patet enim satis in hisce omnibus hodiernos Cardinales veteribus adeo dissimiles esse, ut nihil omnino commune inter se habere videantur. Nomen igitur ad huc servant, vitæ genere ac tota instituti ratione à veteribus prorsus diversi. Hoc autem qua ratione fieri potuerit eleganter edisserit Freinshemius *l. c. p. 21. Plane enim,* de Cardinalibus loquitur, *factum est quod exemplo nasi docet Aristoteles, quem ait, à justà constitutione figuraque leviter exerrantem, esse tamen nasum: si longius producas, deformem quidem illum, sed tamen nasum fore, si longissime ne nasum quidem.* Cum hisce conveniunt quæ Vir quon-

quondam in omni doctrinæ genere excellentissimus Caspar Zieglerus, *in Notis MStis ad* Francisci de Roy *Institut. Juris Canonici lib. I. Tit. 14. Disserit: Appellatio Cardinalium nata quidem olim fuit, sed non in eâdem significatione, quâ nunc usurpatur. Nam vetustior est, quam auctoritas qua hodiè pollent Cardinales.* Idem etiam calculo suo comprobant Franciscus Juretus, ad Ivonis Carnotensis *Epist. 231.* Petrus Josephus Cantelius *de Metropolitanis Part. II. Dissertat. V. aliique.* Nihilosecius præter nomen etiam Ordinum discrimen servarunt, ut hodie quoque alii Cardinales Episcopi, alii Cardinales Presbyteri vel Diaconi appellitentur. Cui accedit, quod quandoque ad pompam atq; inanem ostentationem sacris

 fun-

fungantur muneribus, qua de re videatur Hieronymus Lunadoro *de la Corte di Roma*, *passim*.

§. XX. Quare si de hodiernæ dignitatis Cardinalitiæ origine disceptatio instituatur, aliâ viâ ad arcem rei contendendum est. Et Antonius quidem Bengæus ut & Franciscus Pinsonius, apud Zieglerum *Not. in Francisc. de Roy* l.c. certi quid definire non audent, sed summæ istius dignitatis regiæ haud absimilis, imò majoris ambiguum esse ortum, pronunciant. Utique nemine animadvertente incrementa sumpsit, tum Antistitum Romanorum, tum etiam ipsorum Cardinalium auctoritas. Etenim uno anno in arborem vix excrescit parvus surculus, nec semina terræ concredita uno die adolescunt: ita munera & dignitates, non

non ſanè eo anno quo initium ſumunt etiam faſtigium aſſequuntur. Cenſorum munus apud Romanos, à parva origine ortum, Titus Livius autumat, *Dec. I. lib. IV. p. m. 69.* tanto deinde incremento auctum fuiſſe, ut morum diſciplinæq; Romanæ penes illud regimen, ſenatus equitumque centuriæ decoris dedecorisque diſcrimen, ſub ditione ejus Magiſtratus, publicorum Jus privatorumque locorum, & vectigalia Populi Romani, ſub nutu & arbitrio eſſent. Sacrum iſtud Electorum S. R. I. nomen, quem latet? antiquitate pariter ac dignitate venerandum. Horum vero origini qui certum annum, certumque tempus aſſignare voluerit, næ! eum rudem atque expertem omnium eorum eſſe oportet, quæ

apud Henricum Guntherum Thulemarium, *lib. de Octo-viratu*, Simonem-Schardium *de Principum, quibus electio Imperatoris in Germaniâ commendata est, origine seu Institutione*, aliosque hac de re disceptantur. vid. Marquardus Freherus *ad Petrum de Andlo p. 148.* Gerlacus Buxtorffius *Ad Cap. I. A. B. §. XIV. p. m. 262.* Hoc pacto itaque, Cardinalium quoque origo, temporis diuturnitate ac lentis incrementis tecta, facilè inquirentiũ industriæ sese subtrahit, atq; occultatur. Juvat tamen expendere ipsa intervalla auctæ dignitatis, quæ, quo longiꝰ à primo fonte distant eò manifestius augmenta ordinis hujus nobis sistunt. Neque omnino rectius judice Nicolao Machiavello *in Histor. Florent. lib. I. p. 21.* Cardinalium fata quis-

quam intellexerit, quam si ipsorum Præsulum Romanorum fortunam, exurgentem paulisper, & reliquorum conditionem superantem, secum reputaverit.

§. XXI. Ritè vero ut series rei expediatur, in quo Cardinalitia dignitas præcipuè consistat prius evolvendum est, hoc enim si ignoretur, frustra in detegenda ejus origine quis laboraverit. Et licet ista multa in se complectatur, quæ evehant hunc ordinem, ac venerandum omnibus, eundem reddant: præcipuum tamen istud esse arbitror, quod jure eligendi Pontificem gaudeant. Manifestum hoc adeò est, ut ipse Robertus Bellarminus *lib. I. de Clericis cap XVI.* post munera quæ cum reliquis Clericis communia eis esse dicuntur, officium eligen-

di Pontificem, eis vendicaverit. Mihi vero perinde est, quo titulo hoc jure fruantur, licet Sorbonicæ Scholæ Doctores, cum Thomâ de Vio Cardinale Cajetano acriter hac de re rixentur. Etenim Cardinalibus non competere jus eligendi Pontificem statuunt, nisi auctoritate universi Christiani Orbis, quem exhibere hic Purpuratorum Senatus videtur. Quorsum videatur Almainus *de Auctoritate Eccles. XI. Cap.* & Torcellanus *de potestate Papæ, apud* M. Anton. de Dominis *de Repub. Ecclesiast. Part. I.* Hinc vel invitis Cardinalibus alium posse Pontificem eligi, decernunt si summa ista Ecclesiæ potestas in Concilium aliquod derivetur, vel etiam aliis de causis eripiatur Cardinalibus. vid. Albanus *de Cardinal. qu. 35.* Azorius

rius *T.II.lib IV.c.III.qu.13.* Equidem ſi Cardinalium ipſorum judicio in hoc certamine ſtandum ſit, nullus dubito, quin execraturi ſint eam opinionem, quæ Conciliorum auctoritati ita conſultum cupit, ut de Cardinalium dignitate aliquid ſit detrahendum. Nihilo-ſecius vulnus ejusmodi longe graviſſimum huic ordini inflictum fuit à Concilio Conſtantienſi. Etenim Johanne, Benedicto atque Gregorio de ſuprema Sacerdotii Romani dignitate inter ſe dimicantibus, univerſus propemodum orbis trahebatur in partes, parumque aberat, quin in bella mutuasque cædes Principes armaſſet dira ſuperſtitio. Sane Pontificum pectora ambitio ita urebat, ut vel totius Europæ ruinâ & ferali clade, furori ſuo litare juſtum arbitraren-

rentur, modo unâ æmuli perirent. Jam per quinquaginta annos hoc morbo laboraverat Christianorum cœtus, fessusque ac fatigatus tam longâ calamitatū serie, Concilio convocato, adhibere medelam rebus perditis propemodum ac profligatis sategit. Hinc injusti isti Pontificiæ dignitatis usurpatores, haud secus ac par erat, dejecti de sede, omnibusque honoribus spoliati, inconsultæ arrogantiæ, orbisq; non impunè turbati documentum posteritati reliquerunt. Summa rerum Ecclesiasticarum igitur, non à Cardinalibus, ut hactenus moris fuerat, sed à Concilio Martino Pontifici committitur: haud immerito fremente Purpuratorum Patrum Senatu, provinciæ non bene administratæ crimen haud obscurè sibi exprobrari:

brari: simulque in exemplum abire istud Constantiensium Patrum facinus, omnibusque adeò palam fieri, quam precariò, isto eligendi Antistitem Romanum Jure fruantur. Sed temporum conditioni mores attemperandos censuerunt, consensu suo hinc adprobantes, ratumque & firmum esse jubentes, quod vel maximè reclamantes impedire haud poterant. Vid. Historia Constantiensis Concilii ap. Gobelinum Personam, *in Cosmodrom: ætat. VI c. 94.* Æneam Sylvium *in Histor. Bohem. c. 36.* Flav. Blondum. *Dec. III lib. I. p. 399.* add. Platina *de vitis Pontif. in Johanne XXIV.* Quare electionem Pontificum ab ipsa dignitate Cardinalitia, aliquando sejunctam fuisse hinc elucescit: nihilo-secius tamen arbitror, Cardinales si hâc facul-

facultate destituantur, cœlestibus sideribus, alterius corporis interventu obfuscatis haud esse absimiles. Adeoque si istud jus eis eripiatur, præter nomen, nihil omnino ornamenti atque splendoris, penes eos, mansurum. Quæ utique eo pertinent, ut evincam, omne momentum hujus dignitatis hac electionis potestate contineri, ut eo facilius scaturigo ipsa detegi deinceps possit. Perinde autem est, ut antea indicavi, sive ceu Clerici Romani hoc jure fruantur, sive ceu Principibus universum orbem Christianum referentibus hoc eis competat. Ultimum istud perhonorificum sibi ducebant apud Bartholomæum Gramondum *in Historiâ Ludovici XIII. lib. I. p. 55.* in eo vel maximè causæ suæ præsidium collocantes, cum in-

inter illos & Franciæ Pares, de primo honoris dignitatisque gradu, lis exorta esset; *Ecclesiæ principatui, inquiunt, non esse terminos, nisi quos habeat universus orbis, cui dat Ecclesia legem: eâ ratione Cardinalium jura valere in omni loco. Parum è dignitate Episcoporum esse, quod in Principes suos contendant; lethalem fore victoriam si per vana honorum aucupia, vis Ecclesiastici Principatus resolvatur. Romanæ sedis hostium plus æquo esse, in Petri Cymbam omni ex parte conspirantium, quam ut debeat civili inter fratres discordia concuti. Si Cardinales Ecclesiæ Principes esse non diffiteantur Episcopi, quid controversiâm de sede moverent?* Quæ omnia evincunt, præcipuum munus Cardinalium esse ut Pontificem eligant, & hac ratio-

ratione Principes ſint totius orbis Chriſtiani, ita ut huic tota dignitas Cardinalitia haud immeritò inniti videatur. conf. Torcellanus *de Poteſtate Papæ num. VII. & XII.*

§. XXII. Huc prope accedit alterum iſtud, quod licet communi ſorte Cardinales eximere videatur, ſplendoremq; haud exiguum eis conciliet, neutiquam tamen cum priori dignitatis gradu contendi debet. Fruſtra quippe ad ſummum Sacerdotii Romani faſtigium aliquis adſpiraverit niſi prius in Cardinalium numerum fuerit relatus. Aſſueſcere nimirum illos hac ratione rerum ſacrarum pariter ac civilium tractationi oportet, ſi Arrogonio credimus *in 2. 2. D. Thomæ, qu. 63. a. 2. contr. 2.* ut deinceps orbis totius regimini admoti, majori prudentiâ atque

peri-

peritiâ inſtructi, eò felicius & ſibi & aliis conſulere queant. Contra ſi aliunde petendus eſſet, cui culmen iſtud concrederetur, magnum imperio huic imminere periculum, ne diutius, quam par eſt, Duce deſtitutum, in magnum dignitatis & amplitudinis amittendæ diſcrimen adducatur. Accedit, quod litibus maximis de conſequendo hoc faſtigio, exorituris, nullum adhiberi promptius remedium potuiſſet: cum omnes illi ſpe iſta ſe excidiſſe facilè intelligant, qui inter Cardinales non numerantur, quos ceteroquin ad res novas moliendas concitare potuiſſet, ambitio. Profecto infelici exemplo hoc docuit Conſtantinus quidam, qui nullis unquam ſacris initiatus, fraude atque vi ſupremum Pontificis invaſerat munus.

Cu-

Cujus quidem profanæ audaciæ gravissimas pœnas dedit, namque Romani Concilii auctoritate dejectus, luminibus orbatus, misere tandem periit. vid. Baronius *ad A. C. 769. n. IV.* Hac occasione Stephanus III. Pontifex, qui eundem excepit adductus, nemini nisi Ecclesiæ Romanæ Cardinali, ad Pontificatum viam patere voluit, idque decreto sanxit: *Ne ullus unquam præsumat Laicorum, neque ex alio ordine nisi per gradus ascendens, Diaconus aut Presbyter Cardinalis factus fuerit, ad sacrum Pontificatus honorem promoveri.* vid. Platina *in Stephano III.* Usu hoc deinceps ita comprobatum est, merito ut mirari subeat, cur hâc de re dubitaverit Dominicus à Soto: *Cardinales,* inquit, *in Pontificis electione, ob summam Vica-*

*Vicarii Christi dignitatem, sanctiore fide perstringuntur, optimum eligere, quapropter rumorem illum nunquam mihi persvadere potui, videlicet, statutum illis esse, non posse deligere nisi ex suo gremio, & tandem ab ipsis Dominis Cardinalibus audivi, falsum esse &c. De Just. & Jure lib. III. qu. 6. art. I.* vid. quoque Castellinus *de elect. c. 10.* & Antoninus, in summâ *T. III. Tit. II. c. 2. §. II.* Rumorem vocat Dominicus à Soto, quod aliis præter Cardinales ad Pontificatum adspirare non liceat, cum tamen experientiâ, & tot Pontificum decretis istud jam pridem comprobatum sit. Conticescere ipsum jubebunt multi Romanæ dignitatis strenui assertores interq; illos Franciscus Svarezius *De Fide Disp. 10. Sect. V. n. 19.*

qui ab Ecclesiæ moribus plane alienum hoc esse probat, ut alius, quam Cardinalis ad Pontificatum evehatur. Pontificum decreta hoc satis superque evincunt, quibus qui expleri cupit, Gratianum adeat. In eo vero omnes falluntur, quod incredibili temeritate Divum Petrum Apostolum, ut ceterorum rituum ita etiam hujus consuetudinis auctorem facere non dubitent. Exemplo tamen istis præivit Stephanus III. qui decreto anteâ memorato ad Petrum provocat, & ipsius statuta se saltem revocare, pristinoque restituere vigori autumat: ap. *Gratianum C. Oportet Dist. 29.* vid quoque Azorius *in Institut. Moral. Part. II. lib. IV. Cap. V.* Quantâ vero severitate hanc Stephani III. constitutionem observaverint, satis

tis probat horrendum istud Stephani VII. Pontificis facinus, quod nulla tacebit, nec tamen laudabit posteritas. Etenim cum mortuorum violare corpora inficetis Barbaris & incultis hominibus nefas fuerit summumque piaculum: Sanctissimus tamen Præsul Stephanus VII. adeô sui impotens fuit, ut nec loci religio, nec humanæ Societatis migratæ leges eum impedire potuerint, quo minus inauditâ crudelitate in Formosi Pontificis, Prædecessoris sui cadaver sæviret. Causam non aliam fuisse, Leo Ostiensis, *lib. I. Chron. Cassin. c. 48.* memorat, *quam, quod cum esset Ostiensis Episcopus, contra Sacrorum Canonum decreta, Apostolicam invasisset sedem.* Etenim Episcopos omnes alienæ, ut vocant Diœceseos ab isto digni-

gnitatis gradu excluſos volebant, quem ſolis Cardinalibus deſtinaverant Eccleſiæ leges. Hinc iram hinc furorem iſtum fluxiſſe Oſtienſis autumat, qui nec divino nec humano jure refrenari potuit. Saltem in eo Leonem Oſtienſem deceptum fuiſſe arbitror, eo quod odii iſtius longe aliam cauſam indicat J B. Platina. Certè quod impedimento ſibi fuerat Formoſus, quo minus citius ſummos capeſſere honores potuerit Stephanus, hoc indignè ferebat. Sacræ vero leges obtentui ſumebantur, ut eò tutius in mortuum furorem omnem effundere liceret. Luculenter hac de re diſſerit Platina: *Sed ego arbitror, hoc odium ex ambitione ortum fuiſſe, cum jam eò devenisſent Eccleſiaſtici, ut non coacti ut anteà, ſed ſponte & largi-*
*tio-*

*tionibus Pontificium munus ambirent. Hinc odium ortum eſt, quo etiam in mortuum ſæviebat Stephanus, quod ei impedimento fuiſſet, quo minus optata ſede potiretur.* Honeſtiori itaque titulo ut ornaret inuſitatum facinus divinas humanasque leges à Formoſo conculcatas, indignabundus conquerebatur Stephanus. Namque à Johanne VIII. (potius IX.) in exilium pulſus, omnique ſacri ordinis dignitate ſpoliatus, & honoribus & patriæ ita renuntiare coactus eſt, ut jure jurando firmaret, ab iſto, ad quod fatorum acerbitate damnatus erat exilio, nunquam ſe reverſurum. Nihilo ſecius Johanne mortuo, Romam iterum petiit, variisque artibus Procerum ſibi conciliavit animos, ut ſummum in orbe honorem adipiſce-

retur. Stephanus verò juris jurandi ſanctitatem, adeo parvi fuiſſe homini profano, ut à peſſimis conſiliis eundem dimovere nequiverit, indignè ferebat, vel potius in occaſionem pœnæ à cadavere ſumendæ vertebat, ut hoc tegumento furorem ſuum turpiſſimum eò felicius occultaret. Quicquid hujus ſit, inuſitatum prorſus fuiſſe, eo tempore, ut ad Romanum Epiſcopatum alienæ Diœceſeos Antiſtes eveheretur hinc palam eſt. Obſervavit iſtud Onuphrius Panvinius *in Notis ad Platinam in vitâ Stephani VII. Formoſus*, inquit, *primus omnium Rom. Pontif. ex alienæ Diœceſeos Epiſcopo Romanus Pontifex eſt factus, cum ante ipſum non niſi ex Presbytero vel Diacono Cardinalibus, factus fuiſſet Romæ Papa.*

Conf.

Conf. quoque Mornæus *in Myſter. Iniq. p. 445.* it. Hottingerus *in H. E. Sec. IX. p. 606.* Stephani fata legi poſſunt ap. Baronium & Spondanum *ad A. C. 900.*

§. XXIII. Tertiam Cardinalitiæ dignitatis partem in eo conſiſtere arbitror, quod Conſiliariorum munere fungantur apud Pontificem, adeoque eidem præſto ſint, quotiescunque vel de dominiis Pontificiis temporalibus, vel de totius Eccleſiæ regimine lis movetur. Hinc Sardiniæ & Corſicæ regnum *de fratrum ſuorum*, id eſt, *Cardinalium* conſenſu in *feudum dare*, dicitur Pontifex apud Johannem Bodinum Andegavenſem *lib. I. de Repub. c. IX.* Papæ Conſiliarii & Senatores appellantur à Quinto Mandoſo, Romano, Jure-Conſulto celeberri-

mo *in Glossâ ad Reg. Cancel. Apost. ad Bullam reg. Cam* §. *Considerantes.* Ipsa vero Bulla facultatis Cameræ regentis *partem corporis Papa, & membra nobiliora*, vocat. vid. Bartholomæus Cassanæus *in Catal. Glor. Mundi Part. IV. Considerat. XVII.* Membra Papæ, apud Zabarellam *de Schismate Innocentii VII.* audiunt, inviscerati Papæ apud Hostiensem, teste Antonino Dianâ *l. supra cit.* & Cassanæo l. c. Quin ipsum Concilium Basileense *Sessione XXIII.* Summo Pontifici, S. R. E. Cardinales in dirigendâ Christianâ Republicâ *collaterales assistere* judicat. Huc etiam pertinet effatum Turrecrematæ *lib. I. de Eccles. c. XIX. Dominorum Cardinalium consilio & assensu summum Pontificem regere, disponere, atq; gubernare universo*

*ver-*

*versalem Ecclesiam.* vid. Johannes Freinshemius *de Elect. & Cardin. Præced Diatrib. IV. p. 77.* Experientia ipsa deinceps comprobavit, nullum magni ponderis negotium in Ecclesiâ Romanâ sine Cardinalium consensu fuisse susceptum, aut etiam per alios quam Cardinales peractum. Etenim cum in Concilio Tridentino in discrimen adducebatur Pontificum Romanorum auctoritas, neminē magis hæc res urebat quam Cardinales, qui membrorum æquè ac capitis eandem fore fortunam, facilè intelligebant: sed & propria simul illorum agebatur causa, Episcopis, præsertim, Hispanis ad pristinum dignitatis gradum iterum magno conatu annitentibus, & ad antiquam Ecclesiæ disciplinam cuncta revocantibus.

vid. Petri Svavis. *Historia Concilii Tridentini lib. VII. p. 688.* Nec Pontificis causa in Britannià, cum periculosissimum istud divortium, initio quidem cum uxore, mox etiam cum Ecclesia Romanâ agitaret secum Henricus VIII. Angl. R. ab alio expediri poterat quam à S. R.E. Cardinalibus Campegio & Wolsæo. Vid. Anton. Maria Gratianus *de Casibus Virorum Illustrium p. 177. seqq.* Maxime vero hæc Cardinalitii muneris dignitas elucescit, quotiescunque vel integri populi, vel Reges Principesque à sacris sunt arcendi. Jam Friderici I^mi Imp. ætate tantam sibi auctoritatem sumpserant Purpurati Patres, ut, cum excommunicationis, ut vocant, fulmen in Imperatorem vibrandum esset, assentiente cumprimis Romano Sacer-

Sacerdotum Senatu hoc fieret, teste Aventino *in Annal. Bojoaricis lib. VII.* Quin ipsi Cardinales apud Ottonem Frisingensem *lib. I. de gestis Friderici I. Imp.* vocis significationem huc trahunt, ita se appellatos autumantes, *quippe per quos tanquam per Cardines universalis Ecclesiæ volvitur axis.*

§. XXIV. Jam si hasce Cardinalitiæ dignitatis partes inter se invicem contendamus, & in originem cujuslibet seorsim inquiramus, de toto hoc negotio haud difficilis deinceps erit disceptatio. Cum vero præcipuum momentum in eo consistat, quod jure fruantur eligendi Pontificem, istud quoque ritè expediendum erit. Alterum enim, quod ex solis Cardinalibus eligatur Pontifex, antiquitus cum aliis Ecclesiis Romanæ fuit commu-

mune. Tertium denique ab ipsâ Præsulum Romanorum fortuna fluit. Et certè ex solis Cardinalibus antiquitus etiam electum fuisse Pontificem, vel ex eo constat, quod omnis ex una Diæcesi in aliam transitus tam severè fuerit prohibitus. Sane nefas fuisse & inexpiabile scelus, ex alienâ, ut vocant, Diœcesi arcessere Episcopum vel Stephani III. Conciliique Romani sub eo celebrati decretis gravissimis edocemur.

§. XXV. Quod vero Consiliarii Pontificis audiant, adeoq; Senatum quendam Ecclesiasticum exhibeant, licet ex ipsis Pontificum incrementis derivandum sit, altius tamen repetere, operæ pretium esse arbitratus sum. Utique nemo tam experserit omnis doctrinæ ut nesciat, Episcoporum omnium in pri-

primâ Ecclesiâ dignitatem, per contentionum ac certaminum, quæ sæpius oriebantur dijudicationem, haud mediocriter fuisse auctam. Initio quippe cum durioribus fatis adhuc premebatur purior cætus, opprobrio sibi ducebant querelas fundere, coram judice, qui alienis sacris addictus, reorum crimina, in cultus innocentissimi vitium versurus esset. Consultius itaque ducebant Episcoporum stare effatis, quos eo tempore ab omni ambitione alienos præstabat morum integritas. Utique nefas erat reclamare decreto sanctissimi Viri, qui non minus ex justitiæ quam sinceri affectus præscripto judicium laturus esset. Exquo autem veneno quodam & seculi labe afflati sunt Antistites, nec Imperatores inconsul-

to in eos ſtudio, frena injicerent tam intempeſtivæ poteſtati, hinc exortæ, fieri profecto aliter non potuit, quam ut ad ſuas cupiditates & regnandi libidinem detorquerent inſtitutum minimè culpandum. Romanis præcipuè iſtud negotium ex animi ſententia fluxit. Etenim ne fruſtra tam ſplendido Cardinalium Senatu ſtipati cenſerentur, jam habebant, quod obtentui ſumerent, certaminum ac controverſiarum, quæ indies ad Romanum Pontificem deferebantur dijudicationem, aliaque hinc exorta negotia Viros auctoritate & prudentiâ inclytos ſive Cardinales, requirere. Mutata deinceps Eccleſiæ Romanæ fortuna, & Epiſcopis ad imperium orbis adſpirantibus, nihiloſecius tamen priſtinum nomen manſit, ut ſub re-

rerum Ecclesiasticarum administratione, latitaret imperandi cupido. Hinc apud Gaufridum Grossum *in vita Bernardi Abbatis de Tironio* legitur: *Hoc ab illo obtinere voluit, ut Cardinalis Sacerdotis dignitatem susciperet, & Romæ secum rerum Ecclesiasticarum negotia tractaturus remaneret.* vid. Carolus du Fresne Dominus du Cange *in Glossar. v. Cardinalis.* Postquam igitur Senatus cujusdam formam induerant Cardinales, facilè hinc intelligitur, sicuti cum Pontificum imperio negotia quoque aulæ Romanæ multiplicata sunt, ita Cardinalium quoque & functiones & dignitatem sumpsisse incrementa. Ad hoc ipsum autem licet plurimum contulerit Bonifacius III majus tamen fastigium Romana Ecclesia consecuta

 est,

eſt, tempore Caroli M. quo inſignem ad Pontificum pariter ac Cardinalium dignitatem, acceſſionem factam fuiſſe, non eſt quod ambigam. Etenim quòd Gallus Aſinius apud Tacitum *Annal. lib. II. cap. XXXIII* pronuntiat; *auctu Imperii adoleviſſe etiam privatas opes*, haud incommode de Cardinalibus dixeris, per Imperii Pontificii augmenta, illorum quoque creviſſe auctoritatem. Jam vero palam eſt Caroli M. ætate ad excelſiorem gradum perveniſſe Romanos Præſules, opimis ab eodem acceptis ditionibus, per quas deinceps illorum mentes à rerum ſacrarum curâ aliorſum ſunt converſæ, Cardinalibus quoque provinciarum conſervandarum ac amplificandarum neceſſitas impoſita. Utrum autem Carolus propriâ

priâ munificentiâ commotus, an falsâ fictaque Constantini donatione deceptus, ut Hincmarus Rhemensis arbitratur *Epistolâ III.* hoc fecerit, meâ nunc parum refert. vid. Lehmannus in Chron. Spirensi, *lib. II. Cap. XL. p. 161.* Baronius *in Annalibus ad A. C. 795. n. 7.* Sane Baronio, *A. C. 774. n. 14.* aliisque persvasum est, post Caroli ætatem à Monacho quodam demum hanc fraudem fuisse profectam, ut adeo hæc Constantini donatio Carolo imponere non potuerit. Ceterum si ire per singula Secula liceret, & cum Heideggero *in Historiâ Papatus*, aliisque, sacri imperii quod Romani condiderunt Præsules, lustrare incrementa, haud difficulter cognosci posset, quo pacto cum eodem adoleverint Cardinales, opesque

fuerint auctæ, ut tandem mole suâ laborare inceperint. Nunc vero istud saltem meminisse juvat, illis maxime Pontificibus, quorum in Imperatores nota sunt odia, suam fortunam debere Cardinales. conf. Freinshemius *de Elect. & Cardin. Præced. Diatrib. IV. p. 75.* Inter illos autem maximè eminet Gregorius VII. cujus furorem satis superque expertus est, Imperatorum infelicissimus Henricus IV. Tum vero Cardinalium fortuna & ista dignitatis pars, de quâ hîc agimus ad maturitatem pervenit. Namque & ditionibus istis, quæ *Patrimonii Petri* nomine veniunt, locupletata fuit Romana sedes, & præterea suam supra Imperatores auctoritatem, præsertim quoad Episcoporum, ut vocant, investituram, haud mediocriter stabili-

vit

vit Gregorius. Mathildem quippe Comitissam, Liguriam atque Tusciam provincias, huic Pontifici devotè obtulisse Baronius asserit *ad A. C. 1087.* & ejus Epitomastes Spondanus *ad eundem Annum.* Idem quoq; affirmat Leo Ostiensis *in Chron. Cassin. lib. III. c. 48.* Carolus Sigonius autem Lombardiam atque Tusciam, Pontificem à Mathilde accepisse auctor est. *lib. IX. de regno Italiæ p. 90.* vid. Flav. Blondus *Dec. II. lib. IV. p. 234.* & Antonius Coccius Sabellicus *Ennead. IX. lib. IV. p. 360.* Conringius *de Fin. Imp. c. X.* Ab illo tempore suis cupiditatibus nec modum nec finem statuebant Pontifices, ipsique Cardinales rerum secularium curis jam toti immersi, quicquid hactenus retinuerant pristini moris, prorsus ab-

abjiciebant. Eventu profecto comprobatum fuit oraculum istud cœlitus, si Æneæ Sylvio credimus, demissum: *Venenum melle litum, fœminam propinasse Christianis.* apud Aventinum *Annal. Bojoar. lib.VI.p.374.* Præterea dum conculcatâ Imperatorum auctoritate eodem tempore orbis dominium ad se rapiebat Pontifex, negotia quoque aulæ Romanæ, ut creverint necesse est, adeoque tum demum ad regendum orbem, & dispensanda Ecclesiæ universæ fata adhibiti sunt Cardinales, ut *Consiliarii Pontificis* justo Titulo appellitari potuerint. Vid. Lambertus Schaffnabrugensis, Hirsfeldensis Cænobii Monachus, (cujus in loquendo puritatem, in temporum putatione solertiam miratur Scaliger, prudentiam laudat Conringius

gius *Epist. VII. p. 35.* & Lipsius *Not. ad lib. I. Polit. c. 9.*) ad A. C. 1056. seqq. Sigebertus Gemblacensis ad A. C. 1056. seqq.

§. XXVI. Ultimum & præcipuum quidem Cardinalitiæ dignitatis momentum, ex primâ ut derivemus origine, instituti ratio exigit. Ita enim arbitror, & ita animum induco meum, Cardinalium eminentiam, cum jure eligendi pontificem, tam arcto junctam esse vinculo, ut tum demum Cardinales hodiernos exortos esse, haud absurdè aliquis dixerit, cum ista electionis facultas ad eosdem fuit translata. Ideò etiam supra evictum est, præcipuam hujus dignitatis partem eo ipso absolvi. Quare nubes & inania consectantur qui Petrum Apostolum, Cardinalium Senatu stipatum nobis

bis exhibent, vel etiam Clementi Successori ejus, splendidi hujus ordinis institutionem vendicant. Turpiter sane Stephanum III. Pontificem in eo deceptum fuisse necesse est, si Gratiani verbis nobis standum est. Fatigavit jam alios istud certamen, num inter Romanos Antistites locum inveniat Petrus? Ast si vel maxime hoc munus exornaverit, Cardinalium tamen antiquitati, neutiquam exinde consuletur. Etenim ut à Servatore ipso supremum honorem ipsi demandatum ferunt Romanæ sedis Defensores, ita Clementi idem munus deinceps ipse Petrus commisit. Documento erit vel ipsa Clementis Epistola, ad Jacobum Fratrem Domini scripta, quam Ruffinus Toranus Aquilejensis latinâ civitate donavit,

vit, *extat Tom. I. Concil. Gener.* Ediſſerit in eâdem præceptiones, quibus à Petro ipſe inſtructus eſt, ut fungi hoc officio cum laude poſſet, quod ſummus divinusque Vir, hæreditario quaſi jure ipſi reliquerat. Nec ipſos Romanæ Majeſtatis Vindices hoc latuit, quin, ut ſollicitos maximè rerum leviſſimarum cura quandoque hoſce homines tenet, acerrima hinc inter eos exorta eſt diſceptatio, posſint ne Pontifices, hoc Petri exemplo adducti, ſibi ipſi ſucceſſorem eligendo irrita reddere Purpurati Senatus ſuffragia. Gabrieli Vasquezio ſanè tanti fuit iſtud documentum, ut vel invito Antonino Dianâ, Panormitano, aliisque asſerere non dubitet, utique omnes Pontifices eâdem pollere auctoritate, ut de ſucceſſore ſedi ſanctiſ-

ſimæ

ſimæ proſpicere queant. *Part. III. Tom. III. Diſp. 244. c. III. n. 26.* vid. quoque Franciſcus Amicus *in Curſu Theolog. Tom. IV. Diſputat. VI. ſect. VI. n. 204.* Petri enim exemplum apud eos jam pridem in legem abiit, ad quam ſe componere, omnino par eſſe cenſent. Neque præ ceteris proprium hoc ei ac peculiare fuiſſe aſſerere audent, cum hoc pacto tota fabulæ ſeries haud difficulter poſſit interrumpi. Alii verò de Cardinalium dignitate, nimium hâc ratione detractum iri exiſtimantes, hanc poteſtatem Romano Antiſti-ti abjudicant, quibus ipſorum etiam Pontificum ſuffragantur decreta, exhibita à Johanne Baptiſta Caſalio *de Ritibus Veterum Chriſtianorum c. 69. p. 404.* Ex Victorello quippe, *in Additionibus ad*

*Ciaconium* refert, Pium IV. Pontificem, cum lis eà de re moveretur, ſanxiſſe, aſſentiente Cardinalium Senatu, nefas eſſe ut tale quid ſibi ſumeret Pontifex. *Et quamvis*, inquit Victorellus, *nonnulli imprimis id affirment, eam tamen ſententiam Pius ut falſam rejiciendam cenſuit, volebatque declarare, & ſi opus fuiſſet ſtatuere, Pontificem Cardinalibus etiam aſſentientibus, id facere non poſſe.*

§. XXVII. In Clementis itaque electione cum nullæ omnino fuerint Cardinalium partes, omne quoque antiquitatis præſidium corruit. Parum vero abfuit, quin & alios ad idem audendum, exemplo ſuo concitaverit Petrus. Certè Bonifacii II. Pontificis conatus cum maximo periculo & dedecore conjunctos ne ipſe quidem diſſimu-

ſimulare potuit Baronius *ad A. C. 531.* & Anaſtaſius Bibliothecarius *in vitâ Bonifacii II.* Etenim Vigilio Diacono Pontificatum ab eodem deſtinatum fuiſſe, datoque chirographo firmatum, communi conſenſu aſſerunt. Equidem & Bonifacius Cardinalium dignitatem hoc ipſo non imminuiſſet, cum eo tempore penes populum non minus quam Sacri Ordinis homines eſſet, jus Pontificem creandi: nihilo ſecius omnium intererat, ut inconſulta hæc audacia refrenaretur, ne peſſimo exemplo aliis ad Sacerdotii ſummam dignitatem uni familiæ inferendam præiretur. Hinc non tantum eò adductus fuit Bonifacius, ut commiſſi criminis pœnitentia eum ſubiret, ſed & hodie omnes tam inſigne piaculum execrantur.

Uti-

Utique nihil proclivius fuiſſet, ad imperium iſtud, quod Romani Antiſtites moliebantur evertendum, quam ſi hiſce conſiliis reſpondiſſet eventus. Nec tamen deerat, quod obtentui ſumeretur. Etenim Gothicorum Regum ſic cohiberi poſſe arrogantiam Bonifacius autumabat, quibus parum erat civilium rerum ſummam tenere in Italiâ, quin jam prenſare ſacra, Romanosque ex nutu arbitrioque ſuo conſtituere Epiſcopos audebant. Huic tam intempeſtivo molimini, obviam iturus, ut ferebat, Bonifacius, lubricam viam ingreſſus eſt, quæ parum abeſt quin ipſum præcipitem dederit. Cum vero Bonifacii exemplo vanâ ejusmodi ſpe ſe ipſum deceperit Urbanus VIII. ſeveriſſimis deinceps decretis ſancitum cautumq; fuit,
ne

ne quis unquam Pontificum Romanorum, tantum animo conciperet nefas, nisi vellet, ut atrocissimis diris se devoverent.

§. XXVIII. Ordini verò nostro insistendum, nec aliorsum deflectendus est sermo. Clementem namq; solâ Petri auctoritate summum Romanæ Urbis Sacerdotium obtinuisse, palam est. Nulla hîc Cardinalium habita fuit ratio. Subsequens verò ætas num hosce Jovis Satellites, hàc eminentiâ decoratos, viderit, Justa serie est persequendum. Per omnia Antistitum Romanorum decurrere exempla tædiosum foret. Mores consuetudinesq; Ecclesiæ Romanæ, ex præcipuis monumentis illustres, evolvere & replicare juvat. Etenim si populo non minus quã Clerò suæ in Episcopi electione fuerint partes,

tes, Cardinalium utique dignitas corruit, per quam istis solis hoc competit. Sequebantur Romani in eo receptos totius Eccesiæ mores, juxta quos Cleri populique suffragiis Episcopus erat eligendus. Secus equidem sentire video Hugonem Grotium *de Imperio Summarum potestatum circa Sacra Cap. X. p. 288.* qui ut populum ab Episcoporum electione non semper exclusum, ita quandoque solis Clericis id muneris incubuisse contendit. In quo sanè ut par est adversantem sibi habet Davidem Blondellum *in Scholiis ad h. l.* qui inconsulto clero populoque, Episcopum constituere, nefas fuisse, ostendit. Inter alia verò Hieronymi auctoritate se munivit Grotius, asserentis, Alexandriæ à Divo Marco Sacræ Historiæ

Conditore ſolertiſſimo, ad Heraclem & Dionyſium Epiſcopos usque Presbyterorum ſuffragiis Epiſcopum electum fuiſſe. Aſt Presbyteris dum hoc vendicat Hieronymus, plebem non excludit, docente Blondello. Robore itaque huc usque deſtituitur iſta Grotii ſententia firmioraque fulcra requirit. De hoc quo minus ambigam Apoſtolicæ etiam faciunt Conſtitutiones, quas congesſiſſe Clemens dicitur. De quarum tum antiquitate tum dignitate licet ſecus multi, interque eos ipſe Baronius & Margarinus de la Bigne ſentiant, quam Poſſevinus aliique Romanæ ſedis Vindices faciunt vid. Robertus Cocus *in Cenſurâ Quorundam Scriptor. vet. p. 32. 33.* non tamen pigebit, ad veteris Eccleſiæ mores atque ritus cognoſcen-

ſcendos eas in ſubſidium vocare. In hiſce igitur *lib. 8. cap. 4.* diſertè decretum eſt, & ab ipſo D. Petro ſancitum, ut penes populum non minus quam Presbyteros conſtituendorum Epiſcoporum eſſet arbitrium. *Ego igitur primus Petrus dico, ordinandum eſſe Epiſcopum, ut omnes pariter anteà conſtituimus, ſcilicet de quo in nulla re ſit querela, & qui ſit à cuncto populo ex optimis quibusque electus. Quo nominato & placente, populus in unum congregatus unâ cum Presbyteris atq; Epiſcopis præſentibus, die Dominico conſentiant.* Accedit, quod in Laodicenſi Synodo, populo jus iſtud dum ademptum eſt, ante hanc ætatem hoc maximè ſolenne fuiſſe haud inconvenienter judicet Theodorus Balſamo, Scholiaſtes ſacrorum Canonum

 lon-

longè doctissimus, ut adeò proprio gladio suam jugulet sententiam Grotius *l. c. p. 287.*

§. XXIX. Ceterum electio Cornelii Romani Pontificis satis decantata, documento omnibus esse poterit Decio Imperat: summum rerum tenente, Cardinalium munus prorsus fuisse ignoratum, si ex officio eligendi Episcopum Rom. illud æstimetur. Non minus enim populo quam Clero suffragante, ad summi Sacerdotii dignitatem eundem evectum fuisse Cyprianus sanctus & locuples mihi testis est. *lib. IV. Epist. II. Factus est,* inquit, *Cornelius Episcopus de DEI & Christi ejus judicio, de Clericorum penè omnium testimonio, de plebis quæ tunc affuit suffragio, & de Sacerdotum antiquorum & Virorum bonorum Collegio.* Taceo

nunc

nunc quæ de ipſo Cypriano in ejus vitâ refert Pontius, ſivè ut ab aliis vocatur Pontianus Eccleſiæ Carthaginienſis Diaconus, judicio DEI, & plebis favore eundem eſſe electum: paſſim enim hac de re ita ipſe diſſerit Cyprianus, ut nihil magis à moribus Eccleſiæ alienum eâ ætate fuiſſe, quam ſine populi ſuffragiis conſtituere Epiſcopum, exinde eluceſcat. Neque ſubſequenti ſeculo aliud obtinuiſſe ſuo exemplo omnes Athanaſius docet, impiis Arrianorum fraudibus ad extremum halitum usque vexatus. Etenim ne Euſebio Nicomedienſi Epiſcopo, calumniandi deeſſet argumentum, iſtud quidem ceu grande crimen Athanaſio exprobravit, quod à ſex ſaltem aut ſeptem Epiſcopis clanculum in loco obſcuro eſſet electus: quod ita

inficiatur Athanaſius, ut non Clericorum ſaltem, ſed totius civitatis ſuffragio, adeoque ritè & ex conſvetudine tum receptâ hoc ſe obtinuiſſe faſtigium aſſerat. Contrà, populi conſenſum idem deſiderat in electione Georgii, hominis Arriani, qui ejecto in exilium Athanaſio, Alexandrinam invaſerat ſedem, adeoq; juxta Apoſtolorum conſuetudinem, eundem minimè electum eſſe contendit. Hunc ſeculi iſtius morem Concilii Conſtantinopolitani I. Epiſtolâ Synodicâ, decretoque Canonis XXXII. Concilii Carthaginienſis IV. firmare in proclive erat, niſi conticeſcere omnes in diverſum abeuntes juberet, ipſe Siricius Papa, quem eadem ætas tulit. Hic verò in *Epiſtolâ ad Himerium Tarraconenſem v. 10.* gradus ediſſerens,

ſerens, per quos ad ſummum ſacræ dignitatis faſtigium eatur de Presbytero, pariter ac Epiſcopo addit: *Si eum Clerici ac popularis evocarit electio, non immeritò ſortietur.*

§. XXIX. Priusquam vero ulterius provehar, dijudicanda mihi eſt illorum ſententia, qui Hieronymum Doctorem Eccleſiæ longe celeberrimum, in Cardinalium iſtius ſeculi numero collocant. Sanè Auctor ille Sermonum, qui Auguſtini præ ſe ferunt nomen, diſertè *legimus enim*, inquit, *fratres cariſſimi Sanctum Patrem Hieronymum Cardinalem fuiſſe in Eccleſiâ S. Laurentii Martyris.* Idem quoque Auctor qui vitam Hieronymi conſcripſit ſuo approbat Calculo. Quin ex recentioribus Alphonſus Ciaconius in libro peculiari de *Cardinalatu Hieronymi,*

*nymi*, omnia quæ potuit, convectavit, ut vel invitum Hieronymum Cardinalium Ordini adſcribat. Et ego ſanè arbitror multum ornamenti ſplendido Cardinalium ordini, Virum ejusmodi allaturū fuiſſe cui eruditio ſingularis, morumque integritas, & fortiter propugnata cœleſtis veritas immortale pepererunt decus. Aſt jam pridem inter fabulas atque inania commenta Hieronymi Cardinalatus referri cepit. Sane Deſiderius Eraſmus, bonarum litterarum ſtator quondam ac Vindex egregius, in *vitâ Hieronymi*, figmentum iſtud rejiciens, haud immeritò dubitat, an illis temporibus *Cardinalis* titulus fuerit uſitatus. Certè Carthaginienſi Concilio, ſub Arcadio & Honorio celebrato, Philippus & Aſellus Presbyteri Romani,

ni, eum ſubſcriberent Cardinalis vocabulum non addidere. Unde & ipſe Cæſar Baronius *ad A.C.382. n. XXVI.* graviſſimi erroris reos illos agit, qui Hieronymum Cardinalitia dignitate ornatum volunt. Et Auctorem qnidem Sermonum, anteà citatum falsò Augnſtini ſibi ſumpſiſſe nomen aſſerit, eundemque impoſtorem frigidumque fictorem appellitat. Nec mollioribus verbis alter excipitur, qui Hieronymi compoſuit vitam. Cauſam verò alibi affert, quod à moribus Eccleſiæ Romanæ prorſus alienum fuerit Cardinalis nomen ei tribuere, qui non certo addictus eſt *Titulo* Jam vero ex *Epiſt. 61.* Hieronymi quam ad Pammachium ſcripſit, haud obſcurè colligit, Hieronymum, licet Presbyteri dignitatem

obtinuerit, nulli tamen titulo ſive Eccleſiæ adſcriptum fuiſſe, nec multis quoque precibus teſte Epiphanio, adduci potuiſſe, ut certo cætui jungeretur, eidemque ſuam conſecraret operam. *Da igitur*, inquit Baronius *ad A. C 378. n. 66. Presbyterum Cardinalem ſine titulo, & acquieſcent qui de his dubitant, dicentes, Hieronymum ordinatum à Damaſo Presbyterum Cardinalem.* Quod vero idem Hieronymus in Epiſtolâ quâdam ſcripſit, ſe omnium ſuffragio dignum ſummo Sacerdotio æſtimatum, non quidem de Romano Epiſcopatu capi debet, ſi Baronio credimus, ad hunc enim Hieronymo, cum Cardinalis non eſſet, non patuiſſe viam cenſet. Multo vero minus illud ad evincendam ejus Cardinalitiam dignitatem ſufficit,

ficit, quod à Litteris fuerit Damaſo Pontifici, arctisſimoque amicitiæ fœdere, uterque fuerit junctus: namque eodem munere Proſperum Virum doctrinâ & ſanctitate inclytum functum fuiſſe Gennadius Maſſilienſis auctor eſt, quem tamen inter Cardinales nemo hactenus referre auſus eſt. Hiſce rationibus equidem haud difficulter multorum conſenſum impetraverit Baronius. Addi tamen & iſtud poterat, quod Auguſtinus alicubi ſcripſerit: *Quanquam Epiſcopatus Presbyterio major ſit; tamen in multis rebus Auguſtinus Hieronymo minor eſt.* Cum enim Epiſcopos jam eâ ætate Cardinalibus inferiores fuiſſe contendant Romanenſes, utique inde conſequitur, falſum iſtud eſſe & perperam dici, aut Hieronymum non

fuisse Cardinalem. Qui enim Augustinus dicere potuisset, se ceu Episcopum Hieronymo esse majorem? Quicquid hujus sit, si vel maxime nomen titulumque Cardinalis tulisset Hieronymus, certæque addictus fuisset Ecclesiæ, neutiquam tamen horum Cardinalium, quos posterior ætas vidit, numero esset accensendus. Fuit utique Cardinalis, si inter Clericos fixos atque perpetuos collocari potest. Primarium autem recentiorum Cardinalium munus, ut Pontificum penes illos sit electio, eâ ætate ignoratum fuisse, vel ipse testabitur Hieronymus. Namque Cleri non minus quam populi consensu suffragiisque Episcopum constituendum esse, luculenter ipse innuit *lib. I. advers. Jovinianum. Nonnunquam*, inquit, *errat*

*ple-*

*plebis vulgiq; judicium, & in Sacerdotibus comprobandis unusquisque suis moribus favet, ut non tam bonum quam sui similem quærant præpositum.* Et in Commentar. ad Ezech. Cap. XXXIII. *Speculator terræ Judææ, vel Rex potest intelligi vel Propheta. Speculator autem Ecclesiæ vel Episcopus vel Presbyter, qui à populo electus est &c.*

§. XXXI. Hâc viâ autem si ulterius contendamus ad originem Cardinalium investigandam, ne ad subsequens quintum seculum quidem, eos aliquis retulerit. Per universum quippe Christianum orbem, adeoque etiam in Ecclesiâ Romanâ, populus non minus quam Clerus, ad Episcopi electionem admittebatur. Sanè Bassianus & Stephanus de Episcopatu Ephesino inter se conten-

dentes, & in Chalcedonensi Concilio probaturi se ritè electos ad populi consensum apertè provocabant. Plebem quoque Cabillonensem in partes diversas abiisse ob Episcopi electionem ad Domnulum suum scribit Apollinaris Sidonius *lib. IV. Epist. 25.* quod utique fieri non potuisset, nisi jure quodam circa Episcoporum electionem fuisset gavisus. Nec Romanos Præsules eo tempore aliter fuisse electos inde liquet, quod ipsi Plebis consensum ad Episcopum constituendum requirunt. Fatentem istud, sistere poteram Leonem Imum in Epistolâ ad Rusticum, nisi sufficere mihi videretur luculentum Cœlestini Imi effatum: *Nullus invitis detur Episcopus, Cleri, Plebis, & Ordinis consensus ac desiderium,*

*um requiratur. Epist. II. ad Episcopos Galliæ.* Idem etiam comprobat Epistola Gelasii Pontificis ad Philippum & Gerontium Episcopos scripta, cujus partem à pernicie servavit Gratianus *c. 11. Dist. 63.*

§. XXXII. Dum ita jure suo utitur populus, Reges Principesque sensim sibi supremam in sacris negotiis auctoritatem vendicarunt. Equidem jam Valentiniano Imperatori istud ab ipsis Episcopis delatum fuisse constat, sed & ab eodem recusatum, eò quod expenderet secum, quanti periculi res esset, inter gravissima Arrianorum certamina, cætibus variis de probis purisque Doctoribus prospicere. Nihilosecius qui ipsum insecuti sunt Imperatores, quandoque haud obscurè jus suum

um circa Episcoporum electionem stabilitum iverunt, quod cum per utriusque imperii provincias factum sit, maximè tamen apud Francorum Reges invaluit. Saltem à quarto seculo obtinuit, ut citra Imperatoris consensum Episcopum constituere nefas haberetur. vid. Hermannus Conringius *in Exercitat. Academ. Exerc. VII. de Constit. Episcopor. Germ.* §. *XXI.* Dionysius Petavius *lib. I. de Hierarchiâ Ecclesiasticâ, qui reperitur Tom. III. Dogmat. Theolog.* Caspar Zieglerus *non tantum in libro de Episcopis ex instituto, sed & de Diaconis & Diaconissis.* Cap. IV §. *17. 18. seqq.* Magnum inde obstaculum exortum est, quo minus citius ad maturitatem pervenerit Cardinalitia dignitas. Cum enim Imperatorium nomen ad Ger-

Germanos transiret, Episcopos Romanos, sine Imperatorum consensu eligere non licebat. Ita quippe non tantum in Græco Imperio, sed præcipuè apud Francos obtinuit. Quare licet per Carolum valde aucta sit Romana sedes ipsorumque Cardinalium dignitas; tantum tamen abest, ut jus eligendi Pontificé ad eos solos eo tempore translatum sit, ut potius novæ difficultates objicerentur, quo minus tam cito transferri potuerit. Patet istud vel maxime exemplo Ottonis I. Imperatoris qui supremum istud jus circa Pontificum electionem & ipse usurpavit, ejecto Johanne XII. (juxta alius XIII.) & constituto Leone VIII. & decreto etiam ita Imperatoribus hoc vendicavit, consentiente Episcopo Romano, ut

ut ſine inſigni ſcelere deinceps Imperatorum ab electione excludere partes non potuerint. vid. Carolus Sigonius *de regno Italiæ lib. VII. ad A. C. 963.* Regino *ad eundem A. Otto Frinſingenſis Chron. lib. VI. c. 25.* Rolevvinckius *in Faſcic. Temp. ad A. 964.* Ceterum Epiſcopi legibus ſacris jam inde ab initio cautum voluerunt, ne limites egrederetur iſte Regum conatus, ſvetumque hactenus eligendi ordinem penitus interturbaret. Hinc ſexto Seculo in Pariſienſi Concilio hoc maxime egerunt Antiſtites fibulamq; ut imponerent modumque ſtatuerent regiis electionibus. Horum exemplum ſecuti ſunt Patres Concilii Aurelianenſis Vti. dum *Can. 10.* plebis conſenſum, eundemque prorſus liberum, ad Epiſcopi

ele-

electionem, necessarium esse decernunt. Nec procul plura documenta arcessenda sunt, cum ipsi Romani Præsules qui eo floruerunt tempore, haud inficias eant, plebi pariter ac omni Clero, eandem in hoc negtio potestatem competere. Namque & Pelagius Pontifex *ab omnibus non tantum Clericis, sed etiam civitatis civibus fieri vult electionem*, conf. Gratianus *in c. Litteras 141. dist. 63.* &, qui eum in summâ istâ sacri ordinis dignitate excepit, Gregorius I. hanc demum electionem omnis vitii atque labis expertem pronuntiavit, quæ consentiente & populo & omni Clero fuit peracta. Infinita ejusmodi documenta nobis subministrarent Epistolæ hujus Gregorii si dubium aut anceps agitaretur negotium pluraque

raque aut certiora argumenta requirerentur. *vid. Epist. XXX. lib. II.*

§. XXXIII. Jam si memoriam septimi Seculi recolamus ne tum quidem aliquid circa electionis ritum in Ecclesiâ mutatum deprehendimus, adeoque Cardinales Presbyteros nihil præ cæteris excellens aut egregium sibi vendicare potuisse. Mitto Isidori Hispalensis testimonium *apud Grat. Dist. 63.* Epistolamque Arnolphi Lexoviensis, 37. *ad Alexand. III.* cum aliis certioribus non destituamur. Ad Concilii Toletani IV. atque Cabilonensis decreta provoco, quæ plebis consensum tam necessarium asserunt, ut sine illo nemo ritè electus censeri queat. Quid multis? perpetuæ ætatis hujus consuetudo, in ipsa Romanâ Ecclesiâ observata, satis super-

perque id evincit. Benedictus II. Pontifex, non tantum consentiente plebe & Clero electus est, sed & Constantinus IV. Imp. teste Platinâ *in vitâ Benedicti II.* eodem vivente jussit: *ut quem deinceps Clerus, populus, exercitusque Romanus in Pontificem elegisset, eundem statim verum Christi vicarium esse omnes crederent.* Benedictum excepit Johannes V. quem eodem modô electum esse Anastasius auctor est. Nec Cononis, Sergii, & Hadriani II. Pontificum, aliter peractam electionem, quo minus ambigam, diserta faciunt Anastasii pariter ac Platinæ testimonia. Quo diligentius autem Romani Præsules turbato per Longobardos Italiæ Statu, potentiæ & auctoritati augendæ invigilabant, eo turpiori facinore & ipso-

ipſorum Antiſtitum & Cardinalium incrementa remorabatur Conſtantinus quidam, mortalium ut ferunt, perditisſimus, qui nullo unquam initiatus ſacro ordine, Romanam invaſerat ſedem. Hunc autem, ut jam aliquoties dictum, cum ſeculi iſtius mores, Patrumque decreta ab aditu ad iſtud faſtigium arcerent, divinis humanisque conculcatis legibus, ſeipſum munere hoc indignum reddidit, plebis Clerique ſuffragiis in ipſius locum evecto Stephano III. Tum vero ſolenni decreto, ut ſupra commemoravi, ſancitum eſt, ut nemini ad iſtud munus pateret aditus, niſi qui per omnes gradus, quibus hoc culmen obtinetur iverit, atque priſco receptoque Eccleſiæ more fuerit electus & iſto honore dignus habitus. Et hæc qui-

quidem Anaſtaſius me docuit, nec ipſe diffitetur Baronius. *loc. ſupra cit.* Priſcum autem morem non tantum in eo conſiſtere, palam eſt, ut per gradus ritè quis enitatur, ſed etiam ut à populo pariter ac à Clero eligatur. Vtriusque etiam conſenſu cum faſtigium iſtud non obtinuiſſet Conſtantinus, id quidem erat, quod maximopere in eodem reprehendebant. Exemplo igitur pariter ac decreto hoc emendare voluit Stephanus, populique adeò jura egregiè ſtabilivit. Et hâc quidem ratione Cardinalitiam dignitatem tempore Caroli M. ignoratam fuiſſe haud perperam aliquis aſſeruerit, licet per inſignem Caroli erga Romanos Antiſtites affectum magnæ ditiones his acceſſerint, & Clericorum, qui eo tempore Cardina-

lium

lium veniebant nomine, fortuna creverit. Non jam ſacris operari licebat ejusmodi hominibus, quos civilis regiminis cura, ad alia munera aliosque labores vocabat. Luculentum iſtud adeò eſt, ut nec Robertus Bellarminus fortisſimus Cardinalitii ordinis propugnator hoc inficiari potuerit. *At poſtea,* inquit, *creverunt negotia Eccleſiæ Romanæ, præſertim cum acceſſiſſet Principatus temporalis, tempore Pipini & Caroli M. proinde egebat ſummus Pontifex Conſiliariorum ope, multò ſæpius quam antè, de Clericis lib. I. c. XVI.* Bilem iſtud effatum movit M. Antonio de Dominis, unde Bellarmino reſpondit: *Quid verò tibi videtur, Lector, de illa Bellarmini cauſâ, cur Cardinales majores ſint Epiſcopis? quia nimirum creverunt negotia*

*Ec-*

*Ecclesiæ Romanæ, præsertim cum accessisset Principatus temporalis? Verè enim Cardinalitia dignitas, ex Dominio temporali Papæ plurimum aucta est. de Repub. Ecclesiast. l. c.* Si quis igitur ad Caroli M. ætatem Cardinalium ortum retulerit, eò quod mutata Ecclesiæ facie Clerici Romani, functionibus sacris insuper habitis, aulicis negotiis magis quam anteà implicari cœperint, non valdè repugnavero. Licet enim jam ante quoque civilibus Italiæ rebus sese ingererent Pontifices, nullo tamen juris titulo, tam amplas possessiones sibi vindicare ausi sunt. Mihi verò utique persuasum est, tum demum hodiernos Cardinales in lucem prodiisse, cum jus eligendi Pontificem ad illos solos restrictum est, adeoque ad veros il-

lorum natales detegendos, sequentis ætatis replicare memoriam, operæ pretium esse arbitror.

§. XXXIV. Suffragantem autem mihi magni ingenii & excellentis doctrinæ Virum habeo Nicolaum Machiavellum, qui Cardinalitii ordinis originem non aliunde magis quam ex jure eligendi Pontificem, derivandam statuit: ast in eo magnopere eundem decipi necesse est, quod Paschalis I. Pontif. tempore, adeoque Seculo nono, solis Cardinalibus, hoc munus eligendi Episcopum, delatum esse existimat. *Pervenerat*, inquit, *sub id tempus ad Pontificatum Paschalis, ejus nominis primus, ubi Pastores Ecclesiarum urbis Romæ Pontifici vicini, & in electione ejus præsentes, quo munus suum ornarent splendido aliquo titulo,*

*tulo, Cardinales ſe vocabant, & ipſi ſibi dignitatem maximam arrogabant. Jam enim excluſerant Populum Romanum ab electione Pontificis, in Hiſtor. Florent. lib. I. p. m. 19.* Quot verba, tot errores. Vtique turpisſimè fallitur quod eâ ætate Cardinalium nomen primum uſurpatum aſſerit, fallitur quod jus eligendi Pontificem, populo ademptum in ſolos Cardinales translatum eſſe autumat. Pugnat iſtud cum eo quod Florus quidam ejusdem ætatis Scriptor apud Baron. *T. IX ad A. C. 843* tradit, nunquam recedi ab iſto Apoſtolorum decreto, ut Epiſcopi munus obtineat: *quem communis & concors ejusdem Cleri & totius plebis conſenſus elegerit:* cui accedit quod Platina de Benedicto III. verba faciens Lu-

dovicum Imperatorem Legatos ad confirmandam Cleri & populi electionem Romam misisse refert. Quin Lotharius Ludovici filius decreto sancivit: *ut soli Romani*, (adeoque præcipuè populus) *quos antiqua consuetudo firmarat Papam eligerent*. apud Baronium *ad A. C. 824. n. 14.* Omni itaque robore destituitur hæc Machiavelli sententia, reclamante perpetuâ Ecclesiæ Romanæ per aliquot inde subsecuta Secula consuetudine. Etenim cum extinctâ in Germaniâ Caroli stirpe ad Saxones summum istud orbis fastigium transiret, eosdem circa Pontificum electionem obtinuisse mores, si magnâ argumentorum mole evincere vellem, rem prorsus supervacaneam aggrederer. Nunquam enim apertius Pontifices suum erga

ga Imperatores teſtati ſunt obſe-
quium, quam cum dejecto ob tur-
piſſimos mores Johanne XII. per
Leonem VIII. Ottoni M. Eccleſia-
ſticarum rerum arbitrium per-
mitteretur. Etenim per ignavi-
am aut calamitatem triſtiaque fa-
ta, eorum qui Ottonem præceſſe-
rant, jam ſoli in Italia rerum poti-
ri videbantur Romani Præſules,
jamque jugum quatiebant, ſum-
mum ſibi in ſacris imperium ſu-
mentes, cum virtus Ottonis in-
tempeſtivis hiſce conatibus obvi-
am iret, inque ordinem redige-
ret Epiſcopos, & priſcos mores cir-
ca Pontificum electionem revo-
caret. Non poterat non iſtud fa-
ſtidio eſſe Cardinalibus, cum tan-
tum de illorum dignitate detrahe-
retur, quantum Imperatorum au-
ctoritas circa Pontificum electio-

nem cresceret. Etenim Pontifices jam eo tempore Seculi veneno afflati, altiores quam par erat gerebant spiritus, ægreque ferebant Imperatores dare, non autem accipere leges, hinc & ab electione eosdem abesse cupiebant. Istud vero ut aliquo honestiori titulo impetrarent, populi jura obtentui sumebant, quæ, Imperatorum audacissimis decretis labefactari conquerebantur. Documento esse poterit Leo IX. Pontifex, qui Henrici III. Imp. auctoritate, summo sacri ordinis fastigio admotus, vix à Clero Romano s. Cardinalibus, admittitur, conquerentibus: *Imperatorem nullam creandi Pontificis potestatem à Deo habere, sed ad Clerum populumque Romanum id pertinere.* vid. Platina *in Leone IX.* Et istud quidem me docuit

cuit undecimo poſt C. N. Seculo, nondum evanuiſſe illum Ecclesiæ morem populi non minus quam Cleri ſuffragiis Epiſcopum conſtituendi, adeoque Cardinalium nondum proprium hoc fuiſſe munus. Eadem vero ætas Nicolaum Pontificem tulit, cui hodiernæ Cardinalitiæ dignitatis aut inſtitutæ aut certè inſigniter auctæ gloriam vix dubiam facere auſim, mecum ſi expendam, quam multis doctrinâ & multiplici ingenii cultu præſtantisſimis Viris hoc perſvaſum fuerit. Certè Machiavellus in *Hiſtor. Florent. lib. I. p. 18.* qui eodem mecum fundamento dignitatem hodiernam Cardinalium inniti cenſet, Nicolaum II. iſtud ad finem perduxiſſe, quod Paſchalis I. inchoaverat, aſſerere neutiquam dubitat.

tat. *Quemadmodum*, inquit, *Gregorius V. jus omne eligendi Imperatoris populo antea ademerat, sic cum ad Pontificatum perveniret Nicolaus II. cavebat, ne in Pontificum quidem electione idem Populus Romanus deinceps Juris aliquid haberet, omni illa auctoritate Cardinalibus concessâ.* Idem quoque asserit Thomas à Vio Cardinalis Cajetanus *Opusc. II. c. 22.* vid. quoque Flav. Blondus *Histor. Dec. II. lib. III. p. 194.* Carolus Sigonius *de regno Italiæ lib. 9. ad A. C. 1059.* Nunquam autem Machiavellus, ceterique qui idem affirmant, turpius se traducere potuerunt. Namque cum multa corrigeret & emendaret, depravatosque circa Pontificum electionem mores tollere cuperet Nicolaus, Episcopis Cardinalibus præcipuas equidem

dem aſſignavit partes, totius tamen populi & reliqui Cleri conſenſum ſimul requiſivit, ut ſpeciem priſtini moris ſervaſſe, haud immeritò cenſeatur. Aliter enim ut ſentiam, non permittunt diſerta decreti iſtius verba, quod Gratianus refert *Diſt. XXIII. c. 1. Decernimus atque ſtatuimus, ut obeunte hujus Romanæ Eccleſiæ univerſalis Pontifice, in primis Cardinales Epiſcopi diligentisſimè ſimul de electione tractantes mox ipſi Clericos Cardinales adbibeant, ſicque reliquus Clerus & populus ad conſenſum novæ electionis accedat.* vid. Baronius *ad A. C. 1061. n. 18.* Johannes Georgius Fueslinus *in Conclavib. Rom. reſeratis Diſſertat. V. Sect. II. p. 310.* Ire per omnium Pontificum qui eo Seculo ſedi Romanæ præfuerunt exem-

pla pronum foret, erroris ut convincerem Machiavellum: Sed Gregorii VII. documento meam, ſtabilivisse ſententiam ſatis erit. Licet enim ultimam manum imposuisse cenſeatur iſti imperio, quod Pontifices jamdudum moliebantur, & inauditâ temeritate ſupremam in epiſcopos poteſtatem Imperatoribus eripere voluerit, nihilo ſecius & ipſe à populo, non verò ſolis Cardinalibus electus eſt, & aliquot ejus Succeſſores eodem modo priſcoque ritu ad ſummum iſtud ſacri ordinis culmen pervenerunt. Et de Gregorio quidem ipſo hoc patet ex actis ipſius quæ *Tom. XXVI. Concil. General.* extant. *Namque in eis non tantum à Cardinalibus ſed Clericis omnibus, Diaconis, ſubdiaconis, Acoluthis, conſentientibus plu-*

*ribus*

*ribus turbis utriusque ſexus, electus dicitur.* Ipſe quoque Gregorius hoc teſtatur in Epiſtolâ I. ad Deſiderium Abbatem, in qua ſuam electionem ita repræſentat: *Sed ſubitò cum prædictus Dominus noſter Papa* (Alexander ipſius Anteceſſor) *in Eccleſia Salvatoris ſepulturæ traderetur, ortus eſt magnus tumultus populi, & fremitus, & in me quaſi veſani inſurrexerunt, ita ut cum Propheta poſſim dicere: Veni in altitudinem maris & tempeſtas demerſit me.* Hinc & Robertus Calabriæ Dux juramento fidem obſtringens Gregorio, pollicetur ſe ſubſidio futurum iis Pontificibus, qui à Clero populoq; ritè fuerint electi. Mortuo autem Gregorio Victor III. Urbanus II. & Paſchalis II. omnes ex populi pariter ac Cleri

consensu sacrum istud adepti sunt munus. conf. Platina *in vitis horum Pontif.* De Callisto II. vid. Pandulphus Collenutius in Historia Neapolitana, allegante Baronio *ad A. C. 1119.* Non tamen prorsus sterilis fuit Gregorii VII. ætas ut non aliquis saltem fructus tum in aliis tum etiam in electionibus Pontificum ad Cardinales redundaret. Hactenus quippe licet Imperatorum auctoritas impugnata sæpius fuerat à Romanis Præsulibus, ita tamen conculcari penitus non potuit, ut non Pontificum electiones, si non ex arbitrio illorum, certe non invitis eis, aut dissentientibus peragerentur. Ast Hildebrandi hujus machinationibus hoc eis ereptum est, quicquid auctoritatis residui habere videbantur. Vel maxime hoc nomine

eum

eum reprehendit Zieglerus *de Episcopis Cap. II. p. 282.* Quin Gregorii hujus fraudibus factum est, ut jam in Alexandri, quem ipse excepit, electione Imperaroris nulla haberetur ratio. Cujus temeritatis causam cum exigeret apud Nauclerum *Gener. 36.* Hanno Archiepiscopus Coloniensis, Hidebrandus Archi-Diaconi tum munere fungens jam tyrocinio quodam futuræ proterviæ præludens, respondit: *Nullum unquam jus, nullum imperium Regibus & Imperatoribus Romanis in Pontificis Romani electione fuit, & si quid per vim, si quid perperam factum sit, censura postea Patrum correctum est.* Ita sibi persuaserat Gregorius homo sui impotens & superbia, prosperoque rerum successu lymphatus. Nos

verò alia edocuerunt antiqua Historiarum monumenta. Egregiè iſtud evincit Onuphrius Panvinius *in Notis ad Platinæ Pelagium II.* Ad Juſtinianum autem Imperatorem ejus rei originem refert. Cum enim ſummam rerum in Italia tenentibus Gothis, Imperator de affectu Pontificis certus eſſe deberet, ne peſſundaretur quicquid erat reliqui Græcis Imperatoribus, utique ex conſenſu & arbitrio ejus Pontificem conſtituere oportuit. Quo titulo atque jure hoc aſſerat Onuphrius, mea nunc non refert. Ad Benedictum II. autem usque hanc perduraſſe conſuetudinem mihi auctor eſt. Tum vero Conſtantinus IV. Imp. Pontificis ſanctitate permotus, Clero Populoq; integrum eſſe voluit ſine Imperatoris con-

ſenſu

sensu Pontificem constituere. Mox Hadrianus I Carolo M. iterum illud concessit, in quamcunque etiam sese vertat partem Baronius *Annal. ad A. C. 774. n. 14.* & Sigeberti fidem accuset; donec per Hadrianum III. iterum istud eriperetur Imperatoribus, iisdemque denuò vendicaretur ab Ottone M. Inde vero sæpius hac de re certatum fuit, Hildebrando tandem litem ita finiente, ut superior ex hac pugnâ discederet, gradumque adeò strueret ad summum Cardinalitiæ dignitatis fastigium, quod non paulo post orbis vidit & adoravit. Hæc ex Epistolis Gregorii, Anastasio Bibliothecario, Abbate Urspergensi, Sigeberto, Guilielmo Tyrio aliisque refert Onuphrius Panvinius *l. c.*

§. XXXV.

§. XXXV. Per undecim itaque à Servatoris nativitate Secula, frustra ejusmodi quæsiveris Cardinales, quales nostra ætas videt & veneratur. Nomen non fuit ignoratum, nec abjectæ erant conditionis, ast jure eligendi Pontificem, exclusâ plebe, quod deinceps illorum sortem prorsus immutavit, neutiquam fruebantur. Innocentium itaque II. primum omnium fuisse arbitror, quem solus Cardinalitius ordo creavit, qui etiam istud jus eligendi, eidem proprium esse voluit. Nec enim ante eum citra populi & Cleri consensum quenquam ad hoc fastigium evectum fuisse, evinci potest: nec postea iterum populum ad hæc sacra admissum fuisse, certis documentis quisquam demonstraverit. Et ipsum qui-

quidem Innocentium, raptim, moreque hactenus inuſitato ad munus iſtud perveniſſe, exprobrat ei Portuenſis Epiſcopus Cardinalis, qui indignè ferens priſcā conſuetudinem migratam, vel etiam aliis de cauſis adductus, cum asſeclis quibusdam & Romano Populo Anacletum ad Pontificiam dignitatem evehere conatus eſt. Refert ipſius litteras Malmesburienſis, plenas omnino querelarum, quod tam protervè ſacras leges transgreſſus eſſet Cardinalitius ordo. Simul vero Innocentium, indignum iſtâ ſede judicat, quippe quem illegitimo prorſus obtinuiſſet modo. Exarsêre, ut credere par eſt, in mutua inde odia Pontifices iſti, dirisque ſe invicem devovêre, eò quod uterque partum tueri decus anni-

teretur, quod altero ſalvo fieri non poterat. Innocentium tamen, ceu legitimum Pontificem venerata eſt potior Chriſtiani orbis pars, eundemque prætulit Anacleto. vid. Robertus de Monte *in append. ad Chron. Sigebert. An. 1130.* Flavius Blondus *Dec. II. lib. V. p. 240.* Carolus Sigonius *de regno Italiæ lib. 11. ad A. C. 1130.* Hoc verò non inde profectum judicat M. Antonius de Dominis *de Repub. Eccleſ. p. 394.* quod ritè electum Innocentium crederent, ſed quod peſſimis moribus odium omnium & indignationem in ſe concitaret Anacletus. Accedebat Lotharii Imperatoris favor ſtudiumque ſingulare erga Innocentium, cui Imperatorium nomen acceptum ferre credebatur. Maximum verò pondus addidit Bernardi Abba-

tis

tis Claravallensis Judicium, cujus doctrinam & pietatem cum suspiceret omnis Christianorum cœtus, haud difficulter quoque ejus approbationi suffragabatur. Hinc Innocentium non rarò à Bernardo defendi videas, *vid. Epistola Bernardi 124. 125. 126. 127.* non equidem ex hoc capite quod ritè electus sit, ita quippe causâ sine dubio cecidisset. sed quod morum integritas eundem honestaret, dignumque redderet isto fastigio, & quod prudentiores doctioresque & probitate insignes Viri, ipsius electionem, suo comprobassent calculo.

§. XXXVI. Nec satis erat Innocentio, exemplo suo munivisse viam Cardinalibus ad illam eminentiam, nisi decretis quoque eandem firmaret ac stabiliret.

Et

Etenim mortuo Anacleto, atque Victore quem adversæ partis Cardinales ipsi surrogaverant, tandem coaluerunt distracti hactenus per varia certamina animi, Innocentioque adhæsere. Pulcherrimam hinc occasionem adeptus videbatur Pontifex, Romano Populo frena injiciendi, indigne ferenti, urbis regimen ad se trahere Pontifices, quod tamen ad Consules & Senatores tantum pertinere volebant. Nimirum bella gerebant eo tempore Romani cum Tiburtinis, Tusculanis, Albanis, Prænestinis, & reliquis Latii populis. Hæc autem cum sopire componereque vellet Innocentius, atque ad inimicitias exuendas adhortaretur Populum Romanum, tam iniquè hoc tulerunt cives, ut, si Onuphrio Panvinio credimus,

vel hanc ob causam Pontifices à civilium rerum administratione exclusos cuperent. Sanè hoc certum ac exploratum est, lites gravissimas eo tempore inter populum Rom. atque Pontifices fuisse exortas, Vrbemque Romam, spreta Pontificum auctoritate, Senatoribus, ( Consules addunt Platina & Volaterranus, sed vapulant ideo Onuphrio Panvinio ) Equestri Ordine, atque Patriciis constitutis pristinæ fortunæ imaginem induisse. Hinc gravius in Populum Romanum commotus Innocentius, non tantum solenni ritu à sacris eundem arcuit, sed ne impunè auctoritatem Præsulum lacessivisse videretur, à Pontificis electione, eundem prorsus abesse voluit, solis Cardinalibus hoc jure concesso. *Ita ad solos Cardinales,*

*les*, inquit Onuphrius Panvinius *Not. ad Platinæ Innocent II. Pontificis electio, paulatim Cleri etiam primoribus omnino exclusis, vel in Cardinalium collegium cooptatis est redacta.* Etenim non omnes Clerici Romani eo tempore, Cardinalium nomine veniebant, ſed ſaltem illi qui Titulis certis addicti, multis honorum gradibus ſupra ceteros eminebant, ut *ſupra* §. *XVIII.* fuſius ediſſerui. Idem quoque confirmat Otto Friſingenſis *lib. Hiſtor. VII. cap. 27. 31. 34. it. de geſtis Friderici Imperator. c. 27. 29.* Poſt Innocentium itaque Cœleſtinus, ceterique Pontifices, qui ſe invicem ordine exceperunt, à Cardinalibus tantum fuère electi. Et ita demum emerſerunt recentiores illi Cardinales. Namque huic electionis juri omnem

nem deinceps auctoritatem inniti voluerunt. Statim enim Episcopis præferri cupiebant, nullo alio titulo, quam quod Pontificem eligerent: renitentibus Episcopis. & in ipso Concilio Tridentino, teste Petro Svavi Polano, *in Histor. Concil. Trid. lib. VII. p. 688.* acriter reclamantibus, vehementerque de injusta honoris istius usurpatione conquerentibus. Nec modum statuere poterant ambitioni, quia Regibus æquiparari parum erat, eminere supra illos, illud demum dignum erat tam splendido Cardinaliũ Senatu, quod ut omnibus constaret purpurâ hodie eos fulgentes videas, quem colorem *Regii decoris insigne*, vocat Hieronymus *in Esai. Cap. LXI.* Vnde sæpius ad regnum aut Imperium denotandum usurpatur. Sanè

quod

quod Trebellius Pollio de Baliſta dicit, eum *ſumpſiſſe purpuram*, Claudius Salmaſius ita interpretatur, quod *Imperium acceperit*. Flavius Vopiſcus in Saturnino & Probo eadem loquendi ratione propemodum utitur, vid. Salmaſius *Notis in Trebellii Pollionis XXX. Tyrannos p. m.304*. Hunc in ſenſum & Claudianus, *de IV. Conſ. Hon. ultrò ſe purpura ſupplex obtulit*. Ita unum ex alio conſequebatur, & luci ſemel expoſita Cardinalitia dignitas, vires ſumebat indies, lætiſſimisque incrementis exurgebat, ad juſtam menſuram usque donec perveniret. Quando vero *Autor Traité de l' origine du Cardinaux de S. Siege*, Alexandro III. quem conculcata Imperatoris cervix nobîlitavit, memoriamque ejus transmiſit ad poſteros, iſtud

tri-

tribuatur ac si jus eligendi Pontificem Cardinalibus detulerit, sane gravissimi erroris se ipsum reum facit. Quicquid congeri potest Historicorum documentorum, Innocentio II. hanc gloriam vendicat. Ast confirmasse Alexandrum III. hoc jus electionis Cardinalibus, & constituisse, *ut electio per Scrutinium à Cardinalium duabus tertiis sit legitima*, cum & aliunde constet, neutiquam inficias iverim. vid Fueslinus *in Conclav. Dissertat. V. Sect. II. p. 310.*

§. XXXVII. Non equidem dubito fore, ut nonnullis hæc nostra sententia de origine Cardinalium displiceat: præsertim si existimaverit aliunde potius quam ex jure eligendi Pontificem hanc dignitatem esse derivandam. Istud vero cum mihi persuasum sit, & ratio-

nibus quoque comprobatum dederim, de ipsa originè profectò, secus sentire, donec meliora edoctus fuero, non possum. Quod si vero auctoritatibus pugnare liceret, jam provocare possem ad Virum doctrinâ quondam valdè illustrem, Henricum Ludovicum Chastegnier, Episcopum Pictaviensem. Etenim illum ejusdem mecum opinionis esse, vel ex fronte libri apparet, quem de Cardinalium vitis composuit. Ita autem sese habet: *Nomenclator S. R. E. Cardinalium qui ab A. C. millesimo quippiam commentati sunt, sive ab eo tempore quo Pontificis electione ad eos tantum, ob Romani Cleri multitudinem, revocatâ, maximus ille honor, qualem videmus haberi cæptus est.* Tolosæ 1614. in 4to. Hoc vero per-

perperam dicitur, ob Romani Cleri multitudinem ad ſolos Cardinales electionem Pontificum eſſe revocatam: aliis enim cauſis impulſum Innocentium, ad eos ſolos hanc retuliſſe, jam ſatis aliunde conſtat. Et ſanè aut me omnia fallunt, aut eâdem ratione adductus fuit Antonius Auberri Jure-Conſultus Pariſinus, ut Hiſtoriam Generalem Cardinalium, quam Idiomate Gallico compoſuit, ab anno à C. N. milleſimo & quinquageſimo inchoaret. Tum enim Hildebrandino faſtu ac crudelitate orbis univerſus vexabatur. Et licet eligendi jus penes populum adhuc eſſet, nihiloſecius excluſis eo tempore Imperatoribus Innocentio via muniebatur, ut eo facilius voti ſui damnari potuerit. Ab hiſce igi-

tur, circiter temporibus Cardinalium Historiam auspicari oportet, cum ante ista tanta ordinis istius eminentia orbi ignota fuerit.

§. XXXVIII. Et hæc omnino sunt, quæ levi commentatione, de origine Cardinalium, proferre consultum duxi. Accuratiora ab aliis tradita esse non dubito, ast per fati iniquitatem hæc mihi fuêre inaccessa. Certè Onuphrium Panvinium omne tulisse punctum, in variis opusculis huc spectantibus, propter excellentem Viri doctrinam & Thuani judicium quo *ad antiquitates eruendas eundem natum esse dixit*, dubitari prorsus nequit. Saltem nihil eum latuisse arbitror, nisi præjudicatis opinionibus, Sacrorumq; Romanensium veneratione in transversum actus, à recto quandoque deflexerit tramite.

mite. Certè non infrequens esse, ut in errorem hàc occasione abripiatur, vel ex ejus in Platinam commentationibus constat. Hæc quoque causa est, cur certiora rectioraque vix sperare liceat ab Alphonso Ciaconio Biacensi doctissimo ceteroquin Viro, qui non Pontificum, sed & Cardinalium omnium vitam atque res gestas exposuit, quod ejus opus insigni deinceps accessione locupletarunt Franciscus Crabrera, Andreas Victorellus, ut & Augustinus Oldoinus Patritius Genuensis. Sanè hoc morbo eundem laborate, alter ipsius fœtus, de S. Hieronymi Cardinalatu haud obscurè fortassis indicaverit. Nec mirari subit hæsitanter hîc multa dici, multa quoque dissimulari, cum Cardinalium non alia, quam

Pontificiæ auctoritatis ſit origo. Per varias artes itaque hæc cum creverit, & per Imperatorum ruinam, Regumque clades & alia crimina, fuerit aucta, non facilè ex Romanenſibus quisquam tantæ erit proterviæ, aut tam expers omnis erga Romanos Antiſtites affectus, ut aut ſine rubore, aut ſine fallacia litare veritati queat. Ceterum licet multi quoque in hoc argumento ingenii exercuiſſe vires videantur, ex fronte libri ſi rem ipſam metiaris, accuratius tamen ſi rem expendas, præter litigioſas de jure quæſtiones, aut jejunas rituum deſcriptiones, nihil afferunt. Ejus certè farinæ ſunt, quæ Martinus Garatus, Laudenſis, Jureconſultus, Andreas Barbatias Meſſanenſis JCtus, (*qui extant in Tractat. Tractatuum*

*Tom. VI.*

*Tom. VI.)* Gundiſalvus de Villadiego, & Hieronymus Manfredi, hac de re commentati ſunt. Hieronymus verò Plati *in libro de Cardinalis dignitate & officio*, & Baptiſta Fragoſus, in libro: *Chriſtiana Respublica, ex ſacra Theologia, & ex utroque jure, ad utrumque forum coaleſcèns*, non tam dignitatis hujus originem expoſuerunt, aut ordinis iſtius condiderunt hiſtoriam, quam præceptis monitisque inſtruxerunt, & ſaluberrimis imbuerunt legibus Viros, quibus ſumma iſta dignitas aut jam obtigit aut etiam deſtinata eſt. Nec alia ſperanda meſſis ex Hieronymi Lunadoro, libro quo Carolum Mediceum Florentinum Principem, decimo ſexto ætatis anno à Paulo Vto ad hanc dignitatem evectum, docuit

quid Principem in hoc munere constitutum deceat, *sub Tit. Relatione della Corte di Roma, & de Riti, di osservassi in essa, & de suoi Magistrati & officí, con la loro distintta giurisdittione.* Cujus quidem vestigiis plures alii inhæserunt, quos omnes recensere instituti prohibent leges. Leviter equidem nostrum argumentum attigisse accepi Hieronymum Garimbertum Episcopum Gallesensem tum in libro: *Delle vite d' alcuni Papi, & di tutti i Cardinalì passati*, Venetiis 1567. edito, tum potissimum in parte prima alterius libri: *Il Cardinalismo di S. Chiesa*, ast mihi nunc non licuit eum consulere multo minus expendere mecum num adulationis studio, Italis in hoc argumento proprio in transver-

versum fuerit actus. Gallicum tandem auctorem quod attinet, libri: *Traitté de l' origine des Cardinaux du S. Siege, & particulierement des François*, licet ceteris omnibus dubiam facilè reddat palmam, haud raro tamen & ipse fallitur, nec accuratè cuncta executus est, quod vel ex eis patet quæ in eodem reprehendit Fueslinus, *in Conclavibus Rom. Reseratis. Dissertat. V. Sect. II.* Et hos quidem præcipuos esse arbitror, qui in hoc campo ingenii periclitati sint vires. Quanquam enim, de Historiâ Cardinalium, adeoque eminentissimo hoc ordine haud malè meriti sint, qui vitas aut omnium Cardinalium litteris consignarunt, ut præter Ciaconium fecit, Antonius Montene-

grus

grus & felix Cantelorius, aut illorum, quos litteræ, & res præclarè fortiterque gestæ nobilitarunt, quos inter Antonius Sanderus eminet, aut denique eorum qui ex certà gente ad istud evecti fastigium, decus singulare ac ornamentum patrio peperêre solo, prout quidem Germanicis Cardinalibus elogia suspendit Bernardus Mallinckrot, Gallicos promeritis ornavit laudibus Franciscus du Chesne, Henricus Albi, & Petrus Frison, Anglicos Franciscus Godwinus, illos denique qui libris editis communi se exemerunt sorte, Franciscus Maria Turrigius Romanus: nihilo-secius tamen ad nostrum argumentum aut parum, aut omnino nihil, eosdem contulisse arbitror. Hosce proinde, aliosque scriptores, qui

qui meæ ſeſe ſubtraxêre cognitioni adeant, hoſce conſulant, quibus noſtra commentatio aut ob tenuitatem ſordet, aut ob brevitatem non ſufficit. Mihi nihil prius aut antiquius fuit, quam veritatis habere rationem, & eo ſine ambagibus ire, quo me certiſſima Hiſtoriarum monumenta duxerunt, ritè ut inquirere poſſem in ſplendidi hujus muneris natales. Hoſce vero num detexerim, alii judicent.

*S. D. G.*

---



*IENAE*

STANNO IO. ZACH. NISI

EXSCRIPTVM

IPSIS CAL. AVGVSTI

---

A. I. C. CIↃ IↃC XCII.



